# ECCLESIASTÆ

Explicatio Literalis

EX

Ipsis Scripturarum fontibus,

## HEBRÆORUM

Ritibus & idiomatis,

Veterum & recentiorum monumentis

ERUTA

OPERA ac STUDIO


CAROLI VEIL

sacræ Theologiæ Doctoris & professoris emeriti, Ecclesiæ *Anglicanæ* Presbyteri.


Joan. 5. v. 11.

*Scrutamini Scripturas.*

Zephyrinus Papa Epist. ad Episcopos Sicilienses apud Gratianum Distinct. 38.

*Sicut stellas Cœli non extinguit nox, sic mentes Fidelium inhærentes firmamento sacræ Scripturæ non obscurat mundana iniquitas.*


LONDINI:

Excudebat *Nathaniel Thompson*, & prostant venales apud *Richardum Butt*, ad insigne Anglicè dictum *Bear and Orange-tree*, in vico vulgò vocato *Princes-street by Drury-lane*. MDCLXXXI.

*Philo Carpathius* in Cant. 5.

*Nihil felicissimi consilii, nihil salutaris præcepti desiderare possumus, quin nobis è Scripturis sanctis abunde suppeditetur.*

829.04

*ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO*
*IN CHRISTO PATRI AC DOMINO*
**D. GUILLELMO**
*EX*
*PRÆCIPUO CELEBERRIMÆ ACADEMIÆ CANTABRIGIENSIS*
*ORNAMENTO,*
*ET*
*INSIGNIS ECCLESIÆ* LONDINENSIS
*DECANO.*
*DIVINA PROVIDENTIA*
*ARCHIEPISCOPO* CANTUARIENSI,
*TOTIUS* ANGLIÆ *PRIMATI,*
*REGI*
*A SANCTIORIBUS CONSILIIS,*
*IN OMNI LITERATURA*
*AD MIRACULUM*
*DOCTO,*
*INGENIO VIVACISSIMO,*
*JUDICIO SUBACTISSIMO, MEMORIA TENACISSIMA*
*ET*
*ADMIRABILI LINGUARUM PERITIA*
*SPLENDIDO,*
*SUAVITATE MORUM ET VITÆ CASTITATE*
*CONSPICUO,*
*REGENDÆ ECCLESIÆ*
*SCIENTISSIMO,*

ANTIQUITATIS INCORRUPTÆ
VINDICI,
SACRÆ PROTESTANTIUM RELIGIONIS
PROPUGNATORI,
PROFANÆ PAPISMI NOVITATIS
IMPUGNATORI,
CANONICÆ DISCIPLINÆ
CULTORI,
ECCLESIASTICÆ PACIS
ASSERTORI,
HANC QUALEMCUNQUE
ECCLESIASTÆ
LITERALEM EXPLICATIONEM
DICAT, VOVET AC CONSECRAT
FILIUS IPSIUS REVERENTISSIMUS
EX
CANONICO AUGUSTINENSI
ET
S. AMBROSII MELODUNENSIS
RECTORE
CHRISTI NUNC EXUL,
ET
OMNIUM EGENUS,
ATQUE
HUMILLIMUS ECCLESIÆ ANGLICANÆ PRESBYTER
CAROLUS VEIL
METENSIS
S. T. P.

AD

# AD Lectorem.

EN tibi, Lector Christiane, libri ejus, qui *Ecclesiastes* inscribitur, explicationem ad literam. Hanc ego prorsus eâdem methodo confeci, atque illas Matthæi, Marci, Cantici Canticorum, & duodecim Prophetarum Minorum, quas his tribus annis edidi. Nimirum tantundem temporis effluxit, ex quo Ecclesiæ Romanæ errores ejuravi, & omnia lubens eò reliqui, ut *Protestans* fierem, atque fidem verè Christianam ac Catholicam in luce & palàm profiterer. Qui si labor meus tibi, mi Lector, non ingratus fuerit, nec inutilis, id fructûs pro eo vehemen-

menter etiam atque etiam à te peto, ut me veritatis amore redactum ad ſummam pauperiem, votis & precibus quàm ardentiſſimis ei commendes, qui noſtrûm ergò *egenus factus eſt cùm eſſet dives.* Vale.

---

Te-

## Teſtimonia virorum dignitate, eruditione ac pietate perilluſtrium de autore, ejúſque ſcriptis.

*These are to certifie, That Dr.* de Veil *came over to the* Proteſtant Religion *in* Auguſt, 1677. *and was received into our Church in* April, 1678. *having Teſtimonials from all Parts, where he had formerly lived, under the Hands of Perſons, whoſe Credit cannot be queſtioned; and has ever ſince approved himſelf both for Learning and Manners ſuitable to ſo good a Character. And therefore having left very comfortable Supports, with a juſt expectation and promiſe of much greater, chuſing rather to ſuffer for a good Conſcience, we judge him deſerving of all due Encouragement. Given under our Hands this* 16th *day of* January, $16\frac{72}{80}$.

H. London.

Joh. Roffen.

Pet. Ely.

Jo. Tillotſon, *D. C.*

Edo. Stillingfleet, *S. P. D.*

Symon Patrick, *D. P.*

Te-

Teſtimonium Reverendi admodum in Chriſto Patris ac Domini nunc *Aſaphenſis* Epiſcopi.

*I Have known Dr.* De Veil, *and been very often converſant with him in the two years laſt paſt, and I believe him to be a very good Man, and very worthy of good Employment in the Church, which he ſerves at preſent no otherwiſe than in his learned Writings.*

W. Lloyd.

---

Eccle-

# ECCLESIASTÆ
## Explicatio Litteralis.

SAlomon, postquam relictis vanitatibus, quibus in senectute sua indulserat, ad saniorem mentem rediisset, Ecclesiæ toti suam resipiscentiam in Ecclesiastæ libro testatus est. Atque ita Deo reconciliatus mortem obiit, uti observavimus in ejusdem Salomonis vitæ synopsi, quam subjecimus proœmio in explicationem nostram litteralem *Cantici Canticorum*. Hebræi volunt tam Salomonem, quam librum hunc קהלת dici, propter admirabilem sapientiam, quæ copiosè in Salomone, & in hoc volumine fuit congregata, בעבור החכמה שנקהלה בו. Verùm cùm nomen קהלת derivetur à verbo קהל, quod, uti monet doctissimus Mercerus, tantùm de hominibus ad concionem aggregatis propriè usurpatur, mihi videtur Salomon in hoc libro appellari *Koheleth*, quia in eo instar Ecclesiastæ, seu concionatoris varias hominum in unum collectorum de felicitate sententias ad examen revocat, ut evincat vanissimam vanitatem esse omnia, præterquàm Deum colere ac revereri, eique soli in omnibus obsequi.

## CAP. I.

### *Omnium rerum vanitas deploratur.*

1. VErba. Aurea ſcilicet, & digna Principe, cujuſmodi verba, Prov. 8. *v.* 6. vocantur דברים.

*Eccleſiaſtæ.* Gregorius Magnus, lib. 4. Dialog. cap. 4. *Eccleſiaſtes*, inquit, *propriè concionator dicitur. In concione verò ſententia promitur, per quam tumultuoſa turbæ ſeditio comprimatur. Et cùm multi diverſa ſentiunt, per concionantis rationem ad unam ſententiam perducuntur. Hic igitur liber idcirco Concionator dicitur, quia Salomon in eo quaſi tumultuantis turbæ ſuſcepit ſenſum, ut ea per inquiſitionem dicat, quæ fortaſſe per tentationem imperita mens ſentiat. Nam quot ſententias quaſi per inquiſitionem movet, quaſi tot in ſe perſonas diverſorum ſuſcipit. Sed concionator verax velut extenſâ manu omnium tumultus ſedat, eóſque ad unam ſententiam revocat, cùm in ejuſdem libri termino ait:* Finem loquendi omnes pariter audiamus: Deum time, & mandata ejus obſerva, hoc eſt enim omnis homo. *Si enim in libro eodem per locutionem ſuam multorum perſonas non ſuſceperat, cur ad audiendum loquendi finem ſecum pariter omnes admonebat? Qui igitur in fine libri dicit:* Omnes pariter audiamus: *Ipſe ſibi teſtis eſt, quia in ſe multorum perſonas ſuſcipiens quaſi ſolus locutus non eſt. Unde & alia ſunt quæ in libro eodem per inquiſitionem moventur, atque alia quæ per rationem ſatisfaciunt. Alia quæ ex tentati profert animo, atque adhuc hujus mundi delectationibus dediti: alia verò in quibus ea quæ rationis ſunt, diſſerat, atque animum à delectatione compeſcat. Fi-*

*Filii David.* Non verò nepotis, utì perperàm intelligunt Talmudiſtæ, qui capite primo tractatûs בבא בתרא fol. 15. A. librum hunc Ezechiæ acceptum ferunt. Nulli quippe præterquàm Salomoni proprio Davidis filio poſſunt accommodari, quæ de ſe dicit Eccleſiaſtes, ſeu *Koheleth* hujus libri autor infrà hoc capite v. 16. cap. 7. v. 25, & 27. cap. 8. v. 16, & cap. 12. v. 9, & 10.

*Regis Jeruſalem.* Heb. מלך בירושלם, *Regis in Jeruſalem.* Græci hîc ſupplent ex v. 12. vocem *Iſraël*, & legunt Βασιλέως Ἰσραὴλ ἐν Ἱερουσαλὴμ, *Regis Iſraël in Jeruſalem*, q. d. Regis florentiſſimo duodecim tribuum Iſraël Regno potiti, Regiámque adepti in ipſa Jeruſalem, urbe totius Orientis clariſſima. Vide quæ obſervavimus in explicatione noſtra litterali ad Mat. 2. v. 3.

2. *Vanitas vanitatum.* Hebraiſmus, hoc eſt, vaniſſima, ſeu ſumma vanitas, nihil quicquam habens momenti ad veram felicitatem.

*Dixit Eccleſiaſtes.* Heb. אמר קהלת. Eſt autem קהלת nomen proprium formâ participii feminini, quale תסמרת Eſdræ 2. v. 55. & פכרת ibid. v. 57. *Et quia*, inquit clariſſimus Druſius, *ſenſu maſculinum eſt, ideo legimus hîc* אמר קהלת. *Rurſùm, quia terminatione femininum, ideo legimus infrà cap. 7. v. 27.* אמרה קהלת. *Sic in* ברא אלהים *habetur ratio ſenſûs, ut in* אלהים קדושים *terminationis. Nihil verius. Nomen Koheleth alibi quàm in hoc libro nuſquam extat.*

*Omnia.* Hujus videlicet vitæ bona, propter quæ acquirenda homines tot tantóſque labores impendunt.

3. *Quid*, &c. Q. d. Vaniſſimi ſunt itaque mortales, qui vaniſſimis his rebus adeò ſunt intenti quamdiu ſub ſole vivunt, hoc eſt, in hac terra, ubi ſolis lumen accipiunt, ut vix quicquam agant, quod in

veram ipſorum beatitatem rectè conducat. Hinc B. Gregorius Thaumaturgus præſentem verſum ſic exponit in ſua Metaphraſi : *Non facilè quis vel unam aliquam recenſebit utilitatem ex omnibus, quæ homines ſuper terram reptantes tanto molimine parturiunt.*

*Labore ſuo.* Heb. עמלו. Vox עמל propriè ſignificat laborem anxium.

4. *Generatio*, &c. Q. d. Iſti ſatagei ac ſibi moleſti homines invicem ſuccedunt in eadem ſemper ad res vaniſſimas occupatione, ut nihil earum oculis, animóque denegetur ; quomodo res omnes mundanæ in ſtatu & motu ſuo, id eſt, ſive ſtent, ſive moveantur, ſemper eundem, quem à principio obtinuerunt, ordinem ſervant.

*Terra autem.* Heb. והארץ *& terra.* Particula *&* non ſumitur hîc copulativè, ſed comparativè pro *ſicut.* Vide explicationem noſtram litteralem in Marc. 9. v. 48.

*In æternum ſtat.* Id eſt, quietem ſibi ab orbe condito inſitam inconcuſſa retinet. Vide quæ de ſolis motu & terræ quiete diximus in Habacuc 3. v. 11.

5. *Oritur ſol.* Heb. וזרח השמש, *& oritur ſol.* Q. d. Sol è contra. cùm innatus ſit illi motus, nunc oritur, nunc occidit, nec ubi occidit, interquieſcit, ſed quaſi anhelo curſu contendit ad locum, ubi ortus fuerat, ut ibi rurſus oriatur, ſícque demenſum ſuum, motu perpetuo indefeſſus, percurrit aliis atque aliis populis ſemper oriens aut occidens. Huc ſpectat illud Virgilii Georgic. lib. 1. v. 250, & 251.

*Nóſque ubi primus equis oriens afflavit anhelis,*
*Illic ſera rubens accendit lumina veſper.*

*Revertitur.* Heb. שואף *anhelans*, ſupple, recurrit. Sol enim quàm celerrimè iter ſuum conficit. Vide Pſ. 18. Heb. 19. v. 6.

*Ibique*

*Ibique renaſcens.* Heb. זורח הוא שם, *ubi ipſe oriens*, id eſt, oriri ſolet, ſeu, ut habet verſio Anglicana, *Where he aroſe, Ubi ortus fuerat.* Subauditur autem hîc in textu Hebræo ante Participium זורח relativum אשר, quod paſſim ſubaudiunt, qui linguam Hebræam puriùs loquuntur.

6. *Gyrat*, &c. Q. d. Gyrovagus ventus flatibus ſuis orbem circumit, aſſiduóque motu ultrò citróque commeat, donec tandem regyret in locum, unde primùm in gyrum vagari cœperat.

*Per Meridiem.* Heb. אל דרום *ad Meridiem*, πρὸς νότον, *toward the South.*

*Et flectitur.* Gyrans videlicet, Hebraicè enim habetur וסובב, *& gyrans*, ſeu *gyrat*, *and turneth about.*

*Spiritus.* Id eſt, Ventus, qui definitur à Platone, Κίνησις ἀέρος περὶ τὴν γῆν, *motus aëris circum terram.* Spiritum autem dici ventum etiam apud bonæ Latinitatis autores patet vel ex his Virgilii verſibus 365, 366, & 367. Æneid. 12.

*Ac velut Edoni Boreæ cùm ſpiritus alto*
*Inſonat Ægeo, ſequiturque ad littora fluctus,*
*Quà venti incubuêre, fugam dant nubila cœlo:*
*Sic Turno*, &c.

7. *Omnia*, &c. Q. d. Quotidiano acceſſu fluminum mare non redundat, quia quantùm accipit ſubeuntibus fluminibus, tantùm deperdit per meatus alveóſque terræ exeuntibus. *Docet hic locus*, inquit Cl. Druſius, *ex ſolo fluminum conventu ac confluvio mare conſtare, & ſcatebras fontium nihil aliud eſſe quàm maris ſecretos calles ſub terra rimantis latices colatos exutâ ſalſugine.* Hoc bene notat Seneca Nat. quæſt. lib. 3. cap. 5. *Quidam*, inquit, *judicant terram, quicquid aquarum emiſit, rurſus accipere: & ob hoc maria non creſcere, quia quod influxit, non in ſuum vertunt, ſed*

*protinùs reddunt. Occulto enim itinere subit terras, & palàm venit, secretò revertitur, colatúrque in transitu mare : quod per multiplices anfractus terrarum verberatum, amaritudinem ponit, & pravitatem saporis in tanta soli varietate exuit, & in sinceram aquam transit.* Cùm enim partes aquæ sint flexiles & lubricæ, non ægrè in vapores explicantur, & subeunt angustissimos terræ meatus, & vehementiùs vi caloris motæ, atque ab invicem disjunctæ usque ad montium juga ascendunt. Contrà salis particulæ rigidæ cùm sint & duræ, in altum evehi vel terræ poros transire non possunt ; proprio enim pondere relabuntur.

*Flumina.* Heb. נחלים, *torrentes.* Hoc nomine fortean hîc vocantur omnia flumina, quòd torrentis instar per vallem decurrentis, rapido impetu æstuent, dum in ipsum mare influunt. Sic *torrens fretum*, hoc est, æstuans, dixit Justinus.

*Non redundat.* Heb. אינגו מלא, *non est plenum*, ad restagnationem videlicet. Alioqui mare semper plenum est. Id innuere voluit Vulgatus interpres vertens, *non redundat.*

*Ad locum*, &c. Q. d. Etenim per meatus subterraneos è mari flumina remanant ad fontes suos, unde primùm manare cœperant, ut inde rursum in mare remeent. Atque sic perpetuò profluunt & refluunt flumina.

8. *Cunctæ res difficiles*, &c. Hoc est, cunctæ res, quibus mortales tam avidè inhiant, se frui non sinunt, nec potest homo quicquid in illis boni vel mali ineſt explicare sermone. Quantumvis enim attentissimè contemplantis, aut celerrimè intuentis aspectum fugiunt, & aures avidissimè auscultantis prætervolant.

*Difficiles.* Heb. יגעים *laboriosæ.* Martinus de Roa Singularium lib. 2. cap. 1. *Dubitatum*, inquit, *sæpè est à viris doctis quænam huic voci* Difficile *subjecta vis esset ?*

*ésset? aut cur difficiles terras collésque malignos Virgilius dixerit Georgic. 2. v. 179. aut cur Sapiens cunctas res difficiles appellarit? Ego vero difficile id dici puto, quod durum, quod morosum est, quod avarum, quod asperi ingenii, quódque sui copiam non facit. Nec ad animata solùm, sed ad inanimata etiam vox ista refertur,* &c.

9. *Quid,* &c. Q. d. Perpetuus est rerum sub sole cursus & reciprocatio. Hoc aut de his rebus dicit Salomon, de quibus superiùs loquebatur: *Hoc est,* inquit Aug. 12. Civit. 13. *de generationibus, aliis euntibus, aliis venientibus, de solis anfractibus, de torrentium lapsibus; aut certè de omnium rerum generibus, quæ oriuntur atque occidunt. Fuerunt enim homines ante nos, sunt & nobiscum, & erunt post nos: ita quoque animantia vel arbusta. Monstra quoque ipsa, quæ inusitata nascuntur, quamvis inter se diversa sint, & quædam eorum semel facta narrentur, tamen secundum id quod generaliter miracula & monstra sunt, & utique fuerunt & erunt, nec recens & novum est, ut monstrum sub sole nascatur.* Præclarè itaque pro more Joannes Maury Doctor Theologus in suis excursibus moralibus in hunc Ecclesiastæ locum,

*Nil Natura novi toto molitur in orbe.*
*Idem illi vultus, certis nam singula pendent*
*Principiis, simili semper ratione moventur.*
*Semper idem Terras læto Ver gramine vestit:*
*Mox humenti illi sitiens advolvitur Æstas.*
*Hinc vehit extremas Autumnus in horrea fruges.*
*His succedit Hyems canos hirsuta capillos,*
*Et cujus pigrâ torpescant omnia bruma,*
*Hæc nisi Verna iterùm blandè recreaverit aura,*
*Tristari, ridere, famem sentire, sitimque,*
*Post somnum vigilare, iterùm se tradere somno,*
*Moliri insidias, admittere furta, rapinas,*

*Disceptare, manus privata tingere cæde,*
*Aut stragem cumulando, datis concurrere signis;*
*Exercere agros, fractisque invertere glebis,*
*Et semen spargendo, anni spem credere sulcis:*
*Expectare, gravis donec flavescat arista;*
*Hanc demùm tondere, viæ mortalibus illæ*
*Semper calcatæ, calcandæ, ac semper eundæ.*
*Nostros ante oculos semper rota volvitur illa.*
*Providáque hoc justè cavit Natura, parates*
*Ut nos inveniat, quacunque vocaverit hora,*
*Haudque reluctantes, ceu plura videnda supersint.*

10. *Nihil sub sole novum*, &c. Sic Terentius in Prologo Eunuchi ait v. 41.

*Nullum est jam dictum, quod non dictum sit priùs.*

Sensus est: Nihil omninò nostrâ ætate extat, aut dicitur, quantumvis videatur novum & inauditum, cujus simile quid non extiterit aut dictum fuerit jam olim ab orbe condito.

11. *Non est*, &c. Q. d. Ideò autem tam multa nobis recentia & nova videntur, quia quæ in seculis anterioribus extitêre similia, eorum temporis processu memoria intercidit. Et sicut præterita apud nos abscondit oblivio: sic quæ nunc fiunt, hi qui futuri sunt, scire non poterunt.

*Nil dubita: subeunt cunctarum oblivia rerum.*

12. *Ego Ecclesiastes*, &c. Q. d. Ego, qui nunc Ecclesiastæ seu concionatoris personam gero, facultatem habui quæ vellem investigandi, in urbe Jerusalem totius Orientis clarissima solium regni duodecim tribuum Israël adeptus. Atque ita me incessit cupido *sapienter*, id est, quàm diligentissimè inquirendi de omnibus rebus naturalibus, seu de historia animalium & satorum.

13. *Hanc*

13. *Hanc occupationem peſſimam*, &c. Id eſt, permoleſtam hanc ſciendi curam indidit Deus hominibus, ut ad hoc ſeſe occuparent negotium. Nempe Phyſicæ ſtudium adeò anxiferum eſt, ut nemo ad id animum appelleret, niſi hominibus flagrantiſſimum ſciendi deſiderium inſeviſſet autor naturæ.

14. *Vidi*, &c. Q. d. Deprehendi Phyſicam non poſſe beare animum, quem ipſius ſtudium perexcruciat.

*Afflictio ſpiritûs.* Heb. רעות רוח, hoc eſt, Symmacho interprete, Κάκωσις πνεύματος, *vexatio ſpiritûs*, id eſt, animi. *Dicebat*, inquit Hieronymus, *mihi Hebræus, quo Scripturas S. inſtituente perlegi, quod* רעות *magis in hoc loco Afflictionem & Malitiam, quàm Paſtionem & Voluntatem ſignificaret; non à Malo quod eſt contrarium Bono, ſed ab eo quod in Evangelio ſcribitur*, Sufficit diei Malitia ſua, *quam Græci ſignificantius* Κάκωσιν *vocant.*

15. *Perverſi difficilè corriguntur.* Heb. מעות לא יוכל לתקן, *that which is crooked cannot be made ſtraight*, hoc eſt, *tortuoſum non poteſt rectum fieri.* Q. d. Si ſemel ratio à recto veritatis tramite defecerit, inextricabilibus, irremeabilibúſque implicatur erroribus; defectiones autem humanæ rationis à veritate nemo poteſt aliquo numero definito comprehendere; in tanta enim ſunt multitudine, ut omnem exuperent numerandi rationem. Vulgatus interpres ſenſui magis, quàm verbis intentus, abſtractum ſumſit pro concreto, itaque ſententiam totam vertit: *Perverſi difficile corriguntur, & ſtultorum infinitus eſt numerus:* ut ſignificet vanum & anxiferum eſſe hominibus ſcientiæ naturalis ſtudium, cùm præpoſterè ratiocinantes difficilè ad rectè ratiocinandum revocentur, *& ſtultorum*, id eſt, præpoſterè ratiocinantium ſit innumerabilitas.

*Et ſtultorum infinitus eſt numerus.* Heb. וחסרון לא יוכל לחמנות, *& defectus*, ſcilicet in ratiociniis, *eſt innumerabilis. Mens hominis*, inquit magnus ille Theologus Joannes Calvinus 2. Inſtit. 2. n. 12. *præ hebetudine rectam veri inveſtigandi viam tenere nequit: ſed per varios errores vagatur, & tanquam in tenebris palpando ſubinde impingit, donec tandem palata evaneſcat: ita veritatem quærendo quam ſit ad ipſam quærendam & inveniendam inepta, prodit.*

16. *Locutus*, &c. Q. d. Cogitavi apud me: Ecce magnam & multiplicem mihi ſapientiam peperi præ omnibus, qui fuerunt ante me in urbe Jeruſalem, ubi ſemper ſtudium ſapientiæ ſummo in honore viguit, &

*Quo ſe cunque poteſt humanæ mentis acumen*
*Tollere, ſe noſtrum cœleſti munere vexit.*

*Magnus effectus ſum*, &c. Senſum non verba reddidit Vulgatus interpres, nam ad verbum habetur in textu Hebræo, *Amplificavi & addidi ſapientiam ſupra omnes, qui fuerunt ante me in Jeruſalem, & cor meum vidit multam ſapientiam & ſcientiam.*

17. *Dedique cor meum*, &c. Q. d. Sapientior effectus omnibus deceſſoribus meis animum appuli ad explorandum

*Quanam vivendum ratione, & propria ſoli*
*Quæ ſit vita homini, quæ ſit prudentia, quantum*
*Rebus in humanis poſſit, quis devius erret,*
*Quis rectà ad finem tendat, quæ ſemita ducat.*

*Doctrinam, errore ſque & ſtultitiam.* Alii vertunt, *ſcientiam inſaniarum & ſtultitiæ*, cui verſioni favent accentus, qui hîc ſunt in textu Hebræo. Verſio Anglicana vocem Hebræam ודעת rectè ſumſit pro ולדעת, *& ad ſciendum.* Reddit itaque, *And to know*

*know madneſs and folly*, quod eſt, *& ad cognoſcendam inſaniam & ſtultitiam.* Q. d. Quò faciliùs vitarem errores & inſanias, quæ per errorem & inſaniam, ſeu ſtultè & imprudenter fiunt pernoſcere conatus ſum. Periphraſi deſcribit hîc Eccleſiaſtes Ethicam ſive Moralem Philoſophiam, *quæ*, ut loquitur Tremellius, *in ſapientia vitam informat, & de ſtultitia monet, eamque fugiendam docet.*

*Et agnovi*, &c. Q. d. Exploratúmque habui hoc Ethicæ ſtudium non minori moleſtiâ & anxietate fieri, quàm rerum naturalium indagines, de quibus dixi ſuprà, v. 14.

18. *Eò quod*, &c. Q. d. Studium quippe cujuſvis eximiæ cognitionis multas habet curas, & ſollicitudines, unde naſcitur morоſitas, facilíſque ad iram lapſus. Etenim, ut Cl. Maury verbis utar,

*Anxietas uno, pariterque ſcientia partu*
*Funduntur, comiteſque viam ſectantur eandem,*
*Augenturque ſimul, concordi fœdere junctæ.*

Chaldæus verò hunc verſum ſic exponit, *Qui adjecit ſapientiam & peccat, is graviſſimam Dei contra ſe provocat iram*, &c. Præclarè itaque in concione in Gen. 20. v. 6. Reverendus in Chriſto pater Robertus Sanderſon Lincolnienſis Antiſtes, *Qui apponit ſcientiam, apponit dolorem; is true in this ſence alſo. He that increaſeth knowledge, unleſs his care of obedience riſe in ſome good proportion with it, doth but lay more rods in ſteep for his own back, and increaſe the number of his ſtripes, and add to the weight and meaſure of his own moſt juſt condemnation.* Certiſſimum enim eſt illud Gregorii Magni axioma, *Quo quis melius ſapit, eo deterius delinquit.* Aliter præſentem verſiculum interpretatur doctiſſimus Munſterus, *Quantum quis*, inquit, *proficit in ſapientia & ſcientia, tantum*

*tantum irritatur & ſtomachatur; quandoquidem videt omnia bene condita, ſed ab hominibus in abuſum redacta.* Huc recidit illud cap. 44. libri de ſpiritu & anima apud Auguſtinum tom. 3. *Qui apponit ſcientiam, apponit dolorem; quia & quanto magis homo ſua mala intelligit, tanto amplius ſuſpirat & gemit.*

## CAP. II.

### *Cunctorum hominis ſtudiorum in hac vita vanitas, labor & moleſtia.*

1. *Dixi*, &c. Q. d. Quum ſapientiæ ſtudium tam anxiferum eſſe deprehendiſſem, ad genio indulgendum, ad ſectandas capeſſendáſque delicias animum meum ipſe ſum adhortatus; ſed comperi eam quoque voluptatem, quæ ſenſibus percipitur, eſſe caducam, nec in ea ſitam eſſe veram hominis beatitudinem.

*Vadam.* Heb: לכה נא, *Ito nunc, Go to now*, ut habet verſio Anglicana. Familiaris eſt Hebræis hæc hortandi formula, uti obſervavimus in explicatione noſtra litterali ad Mat. 9. v. 13. Hoc Latini dicerent, Agedum.

*Affluam deliciis.* Heb. אמשכה בשמחה, *Libem in lætitia.* Senſum optimè expreſſit Vulgatus interpres. Et enim *ut in libando multum vinum funditur, ſic dicit*, Libem in lætitia, *pro, in gaudio totus ſim, & voluptatibus*, inquit eruditiſſimus Mercerus. Verſio Anglicana reddit ex Hebræo, *I will prove thee with mirth*, ut Septuaginta, πειράσω σε ἐν εὐφροσύνῃ, *tentabo te in lætitia.* Hoc eſt, periculum tui faciam, anime mi, lætitiæ indulgens. Nempe alii vocem

vocem אנסכה deducunt à verbo נסה, quod *tentare* ſive *probare* ſignificat, atque ita אנסה eſt *tentabo te*; alii verò à verbo נסך, quod eſt *libare*, *miſcere*, *obtegere*. Poteſt autem dici *libare*, vel *ſe miſcere & obtegere in lætitia*, qui ſe immergit in voluptates.

*Et fruar bonis.* Heb. וראיה בטוב, *& vide in bono.* Id eſt, & hilari vitâ fruere. Cor longis exhauſtum angoribus hortatur Salomon, ut miſsâ procul acri ſtudiorum curâ, genio indulgens voluptatibus ſe totum oblectet. Dicunt autem Hebræi *videre bonum*, ſeu *in bonum*, quod Latini dicunt, *frui bono.*

*Et vidi*, &c. Q. d. Et comperi frivolo bono frui, qui voluptatibus indulget.

2. *Riſum*, &c. Heb. לשחוק אמרתי מהולל ולשמחה מה זה עשה, quod ad verbum reddit verſio Anglicana, *I ſaid of laughter, It is mad: and of mirth, What doth it? De riſu dixi, Inſanit, & de gaudio, Quid hoc facit.* Q. d. Hilarem inſaniam inſanire mihi videntur philoſarchi, cùm voluptas, quæ ſenſus recreat, nihil utilitatis afferat ad veram ſummámque hominis felicitatem acquirendam. *Riſum*, inquit Druſius, *appellat vitam mollem, delicatam ac voluptariam, cui opponitur* כעס *ira, id eſt, vita auſtera, rigida ac ſevera: quam fere ſapientiæ ſtudium conciliat.*

*Errorem.* Id eſt, Delirium, quod ab Horatio dicitur *error multus.*

*Gaudio.* Id eſt, Voluptati.

*Quid fruſtra deciperis?* Heb. *Quid hoc facit*, id eſt, conducit, ad veram ſcilicet hominis beatitatem?

3. *Cogitavi in corde meo.* Heb. תרתי בלבי, *perveſtigavi in corde meo, I ſought in mine heart*, ut habet verſio Anglicana. Id eſt, Animum meum verſans in omnes partes tentavi.

*Abſtrahere à vino.* Heb. בין, *in* ſeu *ad vinum.* Di-

Dicitur autem *abſtrahere carnem ſuam in* vel *ad vinum*, qui corpus ſuum libidini addicit. Ut enim advertit Vatablus, *Nomine vini omnes voluptates ſignificat* hîc Salomon. Vide explicationem noſtram literalem in Cant. 1. v. 1.

*Ut animum meum transferrem ad ſapientiam.* Heb. ולבי נהג בחכמה , *interim cor meum ducens in* ſive *ad ſapientiam*, hoc eſt, ſapientiæ ſtudium. ב ſumitur in בחכמה & ל pro ב ſive אל *ad*, ut Levitic. 16. v. 22. & alibi paſſim.

*Devitarémque ſtultitiam.* Heb. ולאחוז בסכלות, *& ad apprehendendam ſtultitiam.* Rectè autem clariſſimus Mercerus, *Apprehendere ſtultitiam intelligit, unà cum ſapientiæ ſtudio contraria cognoſcere, quod contraria ſibi invicem collata magis eluceſcant, ob quam rationem & ſupra utrumque conjunxerat, & infra iterum conjunget. An vero hoc fieri poſſit, ut dum corpus deliciis vacat, animus ſapientiæ det operam, non quærendum hoc loco. Id tantum dicit ſe tentare voluiſſe, donec videret utrùm eſſet hominibus factu commodum, dum hic vivunt.*

*Quid eſſet utile.* Heb. איזה טוב , *quodnam illud bonum.*

*Quo facto opus eſt.* Heb. אשר יעשו, *quod faciant*, id eſt, facere debeant.

*Numero dierum vitæ ſuæ.* Hoc eſt, quamdiu vivunt.

4. *Magnificavi opera mea.* Id eſt, magnifica opera ſum commolitus. Jam Salomon explicat, ut deliciis indulſerit, nihil prætermittens, quod vitam voluptatem atque invitabilem facere poſſit, interea loci non abjecto ſapientiæ ſtudio.

*Ædificavi mihi domos.* Sumptuoſas nimirùm & ſplendidas, ad inſtar Regiæ, quæ 3 Reg. 9. deſcribitur. *Sunt*, inquit cl. Druſius, *qui etiam Templum ſignificari putant; ſed meo judicio non rectè: nam Templum extruxit non ſibi, ſed Domino:* Vi-

*Vineas plantavi.* Ad usum scilicet & oblectamentum simul. Vineæ Salomonicæ in Baal-Hamon fit mentio Cant. 8. v. 11. Midras hîc & Chaldæus Paraphrastes meminere alterius vineæ consitæ à Salomone in Jabne, cujus civitatis extat commemoratio 2 Paral. 26. v. 26.

5. *Feci*, &c. Q. d. Paravi mihi hortos & paradisos, in quibus omne genus fructiferarum arborum consevi.

*Hortos.* Heb. גנות. Dicitur autem גן & גנה quivis hortus sive arboribus, sive oleribus & floribus consitus.

*Pomaria.* Heb. פרדסים. Est autem פרדס Persica vox, uti lib. 5. memorabilium testatur Xenophon, Plutarchus in Demetrio, & Pollux lib. 9. cap. 3: Propriè significat pomarium sive hortum pomiferis arboribus consitum, quarum fructus sint ediles, גן עצי מאכל, ut loquitur Kimchius. Tamen non tantùm hortos frugiferarum arborum Græci vocavêre παράδεισους, verùm etiam theriotrophia, ut ex Philostrato in vita Apollonii Tyanæi liquet, qui leones, ursos, aliáque animalia paradisis inclusa fuisse ostendit. Hujusmodi septa, in quibus feræ vivæ pascuntur, à Varrone *leporaria*, à Scipione *roboraria*, à vulgo suæ ætatis appellata fuisse *vivaria* scribit A. Gellius Noct. Attic. lib. 2. cap. 20.

*Cuncti generis arboribus.* Heb. עץ כל פרי, *arborem omnis fructus*, id est, omnigenas arbores fructiferas.

*6. Piscinas aquarum.* Id est, aquam multam continentes. *Lacus*, inquit Gellius loco mox laudato, *& stagna, quæ piscibus vivis coercentur clausa, suo atque proprio nomine* Piscinas *nominaverunt.* Sed latè *Piscina* dicitur quodvis aquarum conceptaculum, etiamsi pisces nullos habeat: *Videtur tamen*, ut verbis utar

utar Aug. lib. de Dialect. cap. 6. *à piscibus dicta propter aquam, ubi piscibus vita est.* Opponuntur ברכות מים *piscinæ* seu *cisternæ aquarum* illis cisternis, quas Jeremias cap. 2. v. 13. vocat בארות נשברים אשר לא יכלו המים, *cisternas confractas, quæ non continebunt aquas.*

*Ut irrigarem.* Heb. additur מהם *ex illis* scilicet piscinis, seu aquarum conceptaculis.

*Sylvam lignorum germinantium.* Lxx. & Vulgatus interpres passim ut hîc *lignum* pro *arbore* usurpant. Heb. ויער צומח עצים, *sylvam germinantem arbores*, id est, nemus viridibus consitum arboribus.

7. *Possedi servos & ancillas.* Hîc laudat Midras ex Nehemiæ 7. versum sexagesimum, qui ait filios servorum Salomonis tum recensitos fuisse tricentenos nonaginta duos.

*Familiamque multam.* Heb. ובני בית היה לי, *& filii domus fuit*, pro *fuerunt*, ut alibi passim, *mihi.* Sunt autem *filii domus* ex stylo sermonis Hebraici propriè vernaculi, qui nascuntur domi nostræ ex mancipiis. Hinc optimè versio Anglicana hîc reddit ex Hebræo, *And had servants born in my house.*

*Armenta*, &c. Q. d. Res pecuaria mihi fuit longè amplior quàm omnibus, qui fuerunt ante me Jerosolymis. Regum historia narrat 3 Reg. 4. v. 23. Salomonem quotidie in usum culinæ suæ mactasse boves altiles decem, armentales viginti, centúmque oves.

8. *Coacervavi*, &c. Hoc est, magnam vim argenti & auri congessi, opésque verè regias, & quales esse solent urbium seu provinciarum opulentissimarum.

*Substantias.* Heb. וסגלת, *& cimelium.* Vox סגלה à verbo Chaldaico vel Syro סגל, *lucrari, acqui-*

*acquirere, proprium facere,* ſignificat quicquid labore, moleſtiâ, defatigationéque noſtrâ partum eſt. *Hinc,* inquit clariſſimus Eques Edvardus Leigh, in Critica Sacra, *quia quod quis labore ſuo peperit, id ipſi delicium eſt, quo maximopere ſe oblectat, ſive nummi ſint, atque pecuniæ, ſive aliæ res quævis; idcirco quicquid ſingulare, eximium, egregium, ſelectum, carum & rarum eſt, ac proinde in deliciis habetur & aſſervatur,* (*quod Græci* Κειμήλιον, *Galli* Joyau *appellant*) *hoc nomine inſignitur. Waſer. De antiq. numis Hebræorum, c.* 1. *lib.* 1. *Interdum à rebus ad perſonas reſtringitur. Hinc in Scripturis de Dei populo uſurpatur, ut Exod.* 19. *v.* 5. *Deut.* 7. *v.* 6. *Pſal.* 135. *v.* 4. *Mal.* 3. *v.* 17.

*Ac provinciarum.* Heb. והמדינות. Vox מדינה ſignificat & urbem, & provinciam quæ multas complectitur urbes. *Itaque,* inquit doctiſſimus Druſius, *Syrus interpres de Jeroſolyma uſurpat Luc.* 19. *v.* 41. *Ebræus Tobias de Rages civitate Mediæ, & Arabes de Mecha, quæ Arabicâ voce dicitur hodie* Munychiates, *quam vocant per excellentiam* Medinath alnabi *ob ſepultum ibi Mahometem.*

*Feci mihi.* Hoc eſt, mihi conquiſivi.

*Cantores & Cantatrices.* Muſicam ſcilicet harmoniam callentes.

*Et delicias filiorum hominum.* Hoc eſt, qui cantores & cantatrices animum hominis ſuavitate perfundunt.

*Scyphos & urceos in miniſterio ad vina fundenda.* Heb. שדה ושדות, *Symphonia & Symphoniis,* vel *hymno & hymnis,* id eſt, omni ſymphoniarum ſeu hymnorum genere. Neque enim שדה, de cujus ſignificatione tantoperè laborarunt interpretes, ſignificat urceos ſive ſcyphos, qui in miniſteriis ordinantur ad vina fundenda, ut Vulgatus interpres exponit, ſed ſymphoniam vel hymnodiam. *Dicit nempe Solomon,*

inquit vir inexhauſtæ eruditionis Samuel Bochartus Hierozoici p. poſt. lib. 6. cap. 13. num. 6. *ſe ſibi comparaſſe cantores & cantatrices, & delicias filiorum hominis, id eſt, qui recrearent homines* שדה ושדות, *cantu & cantionibus. Nam* שדה *eſt pro* בשדה. *Eâ voce veriſimile eſt, non quaſvis cantiones, ſed propriè ὑμνῳδίας ſignificari ab inventrice ſic dictas, id eſt, Sido mulicre apud Phœnices magni nominis, de qua vetuſtiſſimus ille ſcriptor Sanchioniathon,* ἀπὸ δὲ τῆς Πόντου γίνεται Σιδὼν ἡ καθ' ὑπερβολὴν ἐυφωνίας φωτὴ ὕμνων ᾠδῆς ἔυρε. Ex Ponto autem Sido nata eſt, quæ propter canoræ vocis præſtantiam hymnorum cantum prima reperit. *Nempe ut à Sappho Sapphicum carmen Græci dixere, ſic à Sido ὑμνῳδίας Phœnices* שדות, *Sidoth vel Siddoth appellaſſe veriſimile eſt.* Hactenus Bochartus. Clariſſimus vero Tremellius שדה ושדות reddit, *ſymphoniam & ſymphonias*, hoc eſt, omnis generis ſymphonias, ſive ut ipſe loquitur, *ſymphoniam & quidem omnimodam, id eſt, muſicam harmoniam quamque vocis, ſoni, aut utriuſque, & omne genus melodiæ: nam vox Hebræa* שדה (à שדד *vaſtando*) *ſignificat propriè vaſtationem: & quia ea eſt natura melodiæ, ut vocibus paribus diſparibuſque, itémque ſonis ſimilibus & contrariis conficiatur ipſa; in quorum mixtura & temperatione alterum ab altero ita frangitur ac veluti vaſtatur, ut ex omnibus concinnum aſſurgat* μέλος *& concordia quæ diſcors, ut Ovidius loquitur, propterea à hoc muſicæ commoditati nomen vaſtationis inditum eſt.* Hebræorum doctores, quos *Gaonim* appellant, cenſent apud Kimchium שדה ושדות fuiſſe כלי זמר *muſica inſtrumenta*, ad pſallendum apta. Hanc ſententiam ſecuti ſunt autores verſionis Anglicanæ vulgaris.

9. *Et ſupergreſſus ſum opibus omnes*, &c. ואגדלתי והוספתי מכל, *ita magnus fui & amplificavi*, ſupple, fortunam, gloriámque meam, *præ omnibus.*

Sapi-

*Sapientia quoque perseveravit mecum.* Q. d. Amplificatione divitiarum & honoris non transversus actus sum, sed

*Indivulsa meæ insedit sapientia menti.*

10. *Et omnia*, &c. Q. d. Nullos cupiditatibus meis frænos adhibens, quicquid voluptatis optare aut cogitare potui, id sum consectatus; hujúsque consectationis non alium affectavi fructum nisi suavem bonorum labore meo partorum usuram.

11. *Cumque me*, &c. Q. d. At ubi revisi quid egerim, deprehendi in fruendis inanibus ac nihili rebus ridiculâ φιλησδονίᾳ me desudasse & elaborasse; cuncta quippe bona creata cùm futilia sint ac transitoria, torquent magis animos hominum, quàm recreare & reficere possunt.

*Et nihil permanere sub sole.* Heb. ואין יתרון תחת השמש, *& non residuum* aut *emolumentum sub sole.* Id est, nihil in hisce terrenis nisi frivolum deprehendi.

12. *Transivi*, &c. Hoc est, post tot tantáque experimenta voluptatum omnium, in quibus saltem aliquod esse quasi vitæ condimentum divinitùs concessum homini videbatur, recogitavi quid differat inter sapientiam & insaniam, (hoc est, errorem sive imprudentiam) stultitiámque.

*Quid est, inquam, homo, ut sequi possit.* Hoc est, quis sapientiâ æquiparet. *Est*, inquit Grotius, *hic in Hebræo* מה *positum non pro* quid, *sed pro* quis, *ut* 1 *Sam.* 4. *v.* 6. *&* 2 *Reg.* 1. *v.* 7.

*Regem.* Si per *Regem* intelligatur Rex regum Deus hominis conditor, uti Vulgatus interpres & Hebræi magna ex parte quidem autumant, Salomon hac interrogatione causam affert cur sapientiæ studens opus habuerit ex adverso errorem seu insaniam & stultitiam conferre; quia nimirùm homo non

poteſt æquiparare ſapientiâ Deum factorem ſuum, ut ipſius inſtar in rebus dignoſcendis nunquam à vero aberret. Cùm itaque homo hallucinationi ſit obnoxius, dum ad lucem veritatis pervenire nititur, principia erroris contrarii, inſaniam videlicet & ſtultitiam pernoſcat oportet, quò illum vitare aut repudiare poſſit. Sin autem, quod probabilius eſt, per Regem ipſe Salomon intelligatur, ſenſus erit idem ac ſi dicat, neque enim quiſquam eſt mortalium qui tam exploratam ſibi comparare poſſit rerum creatarum cognitionem, quàm ego comparavi, atque ita nemo me meliùs ſapientiam ab inſania ſeu errore atque ſtultitia internoverit.

*Factorem ſuum?* Heb. את אשר כבר עשוהו, *quem jam fecêre?* Hebraiſmus, id eſt, qui jam factus, ſeu natus eſt? Q. d. Quis homo ex illis qui jam nati ſunt, qui Regem ſapientiâ æquiparet? Quidam reddunt ex Hebræo, *Qui*, ſcilicet Rex, *ipſum*, nempe, hominem, *jam fecit*. Quod autem עשוהו dicitur in plurali, rationem aiunt habitam eſſe nominis אלהים, quod ſubauditur, & terminatione plurale eſt. *Itaque*, inquit clariſſimus Druſius, *legimus Pſal.* 149. *v.* 2. בעשיו, *in factore ſuo, & Job* 35. *v.* 10. אלוה עשי, *Deus factor meus*, & *Iſ.* 54. *v.* 5. בעליך עשיך, *Dominus tuus factor tuus. In his omnibus exemplis codices Hebræi* factores *habent pro* factor, *nempe quia uſus obtinuit ut de Deo loquentes promiſcuè uſurpent modò pluralem modò ſingularem. Nihil verius.* Verùm ne horum verſionem ſequamur, obſtat particula את, quæ præpoſitio eſt, vel articulus quarti caſûs.

13. *Et vidi*, &c. Q. d. Atque exploratum habui tantundem ſtultitiæ præſtare ſapientiam, quantò lux tenebris præſtabilior eſt.

14. *Sapientis*, &c. Q. d. Oculatus eſt ſapiens & circunſpectus, ſtultus verò inconſideratus & opple-

tus

tus tenebris, & nihilominùs pari modo moriendum utrique quotidianâ didici experientiâ.

*Quod unus utriusque esset interitus.* Heb. שמקרה אחד יקרה את כלם, *quod accidens unum accidat omnibus ipsis*, id est, sapientibus & insipientibus. Sic *accidere* pro mori usurpatur à Latinis in his locutionibus, *Siquid illi accidat, siquid humanitùs ei acciderit.*

15. *Et dixi*, &c. Q. d. Dúmque hoc mecum reputabam, si fato simili pereundum est mihi atque insipienti, quid me juvat quòd accuratiùs fuerim philosophatus? animadverti ne sapientiæ quidem studium carere vanitate suâ, hoc est, inutilitate ad veram & immortalem felicitatem.

16. *Non enim*, &c. Hoc est, ut enim sapiens æquè ac stultus moritur, sic sapientis æquè ac stulti memoria est intermoritura, cùm omnia temporis longitudine obliterentur. Eleganter hoc expressit sequentibus versibus clarissimus Joannes Maury Doctor Theologus,

*Non secus ac, ubi mixta jacet calvaria multa,*
*Olim formosum nemo dignoscere vultum,*
*Deformèmque potest, cui pallida labra, fuitve*
*Multus in ore rubor, molles, hirtive capilli,*
*Qui medio in cursu defecit, quique senectam*
*Venit ad extremam: sic se quædam advehet ætas,*
*Qua lateat pariter, quos nunc sapientia reddit*
*Illustres, & quos nullo dignatur honore.*
*Una teget tellus, teget una oblivio cunctos.*

*Et futura tempora oblivione cuncta pariter operient.* Heb. בשכבר הימים הבאים הכל נשכח, *eo quod jam diebus venientibus omnia in oblivionem veniunt.* Q. d. Omnium quippe memoria *longis intercidit annis*, ut Ovidius loquitur.

*Moritur doctus similiter ut indoctus.* Hebraicè additur eleganter particula admirandi ואיך, *& quomodo.* Habet enim ista res admirationem. Q. d. Quî fieri potest ut sapiens æquè ac stultus moriatur, cùm sapiens immortalitate donandus videatur?

17. *Et idcirco*, &c. Q. d. Atque ita me hujus vitæ pertæsum est, cùm mihi certè molestum esset omne quod sub sole geritur, utpote vanum & cruciabilitatis plenum.

*Videntem mala universa esse sub sole.* Heb. כי רע עלי המעשה שנעשה תחת השמש, *quia malum super me opus quod fit sub sole*, id est, quia gravabar omni re mundanâ.

*Et cunctia vanitatem, & afflictionem spiritûs.* Heb. כי הכל הבל ורעיית רוח, *quoniam omnia vanitas & afflictio spiritus*, hoc est, res omnes mundanæ parùm aut nihil habent momenti ad veram felicitatem, & innumerâ mentem curâ distringunt.

18. *Rursùs*, &c. Q. d. Me quoque distæduit desudasse atque elaborasse in conquirendis opibus, in quas succedat heres.

19. *Quem*, &c. Q. d. Quis autem scit sapiénsne an stultus sit in meas successurus opes, & fruiturus omnibus, quæ nisi navus & industrius consequi non potuissem?

*Mene labor potuit deludere vanior ullus?*

20. *Unde*, &c. Sensum Vulgatus interpres reddidit, cùm ad verbum habeatur Hebraicè, *Et circuivi ego ad desperare faciendum cor meum de omni labore, quo laboravi sub sole.* Id est, Cùm vanissimas vitæ humanæ occupationes animo circunspexissem, aversatus sum omnem laborem, ad quem me hactenùs occupaveram.

21. *Nam*, &c. Q. d. Neque enim raro accidit, ut qui

qui cum prudentia, induſtria, & juſtitia ſibi opes cumulavit, eas ignavo poſt ſe relinquat. Quod utique cruciabilis vanitas eſt.

*In ſapientia.* Id eſt, in prudentia, quæ rectè de ſingulis judicat.

*Et doctrina.* Heb. ודעת, *& ſcientia*, id eſt, induſtria experimentis parta.

*Et ſollicitudine.* Heb. ובכשרון, *& in rectitudine*, ſcilicet animi, quâ nihil niſi juſtè paratur.

*Homini otioſo quæſita dimittit.* Heb. ad verbum, *Homini qui non laboravit in eo dabit ei partem ſuam.* Hoc eſt, ignavo & ſegni in portionem ſorte obtingunt divitiæ tot tantíſque quæſitæ laboribus.

*Magnum malum.* Id eſt, vexatio magna.

22. *Quid*, &c. Q. d. Quid emolumenti reportat homo ex univerſo labore, quo dies noctéſque tam dirè cruciatur?

23. *Cuncti*, &c. Q. d. Namque diù fatigatur cruciabili negotio, & noctù inſomniâ, otióque inquieto necatur. Quid igitur hac vitæ ſorte vanius & ad beandum hominem ineptius eſſe poſſit? Hinc hominem avarum, qui ſe diſcruciat aggregandis opibus, ſic alloquitur Auguſtinus tract. 9. in Joan. *O homo qui laboras amando avaritiam, cum labore amatur quod amas: ſine labore amatur Deus. Avaritia juſſura eſt labores, pericula, triſtitias, tribulationes, & obtemperaturus es. Quo fine? ut habeas, qua impleas aream, & perdas ſecuritatem. Securior fortè eras antequam haberes, quàm cùm habere cœpiſti. Ecce quid tibi juſſit avaritia. Impleſti domum, timentur latrones: acquiſiviſti aurum, perdidiſti ſomnum. Deus ſine labore cùm amatur, acquiritur & tenetur.*

*Doloribus & ærumnis pleni ſunt.* Heb. מכאבים וכעס ענינו, *dolores, & indignatio occupatio ejus.*

24. *Nonne melius eſt comedere.* Heb. אין טוב באדם שיאכל

שיאכל, *non bonum in homine quod comedat.* Quidam Hebræorum ſubaudito ה legunt per interrogationem, *Nonne bonum*, &c. Alii legunt ut mox vertimus, ſubaudientes particulam רק *niſi* ante שיאכל, *quòd comedat.* Senſus eodem recidit, ac ſi dicat, Venit itaque mihi in mentem, nihil eſſe tam bonum homini, quàm ut comedat & bibat, nec genium defraudet uſu bonorum quæ labore ſuo ſibi peperit.

*Oſtendere.* Hebraiſmus, id eſt, utenda permittere.

*Animæ ſuæ.* Alter Hebraiſmus, hoc eſt, ſibi ipſi.

*Bona de laboribus ſuis.* Hoc eſt, labore ſuo parta.

*Et hoc de manu Dei eſt.* Heb. גם זה ראיתי אני כי מיד האלהים היא, *etiam hoc vidi ego quòd de manu ipſius Dei eſt.* Q. d. Verùm divitiis operoſioribus uti non eſſe in noſtra poteſtate niſi divinitùs adjuta compertum eſt mihi.

25. *Quis ita devorabit?* Heb. כי מי יאכל, *quis enim comedet*, æquiùs nimirum parta à me bona.

*Et deliciis affluet.* Heb. ומי יחוש, *& quis feſtinabit*, ſcilicet, juſtiùs ut de opibus labore meo partis jucundam ſibi vitam præſtet.

*Ut ego?* Heb. חוץ ממני, *præter me*, qui eas mihi ſudoribus meis paravi? In ſua perſona demonſtrat Salomon, quod mox dixerat, optimum videlicet eſſe homini, ut ſeſe non diſcruciet, ſed placidè & jucundè rebus à ſe partis perfruatur.

26. *Homini*, &c. Rationem reddit ejus quod in fine ſuperioris ante proximum verſiculi dixerat, nempe donum Dei eſſe divitiis operoſioribus uti, q. d. Etenim homini pio, ſibíque accepto præſtat Deus ut ſciat præſenti rerum copiâ hilarè, & prudenter uti; at impium ſinit anxiè laborare in immenſa auri, argentíque vi comportanda, & faſtidioſa divitiarum copia congerenda, ut juſtus eis utatur, & impius nihil præter anxietatem laboris reportet.

De-

*Dedit.* Id est, dat. Hebraismo Scripturæ familiari præterita ut futura sæpè habitum significant.

*Peccatori.* Hunc opponit ei, quem dixerat bonum in conspectu Dei.

*Dedit afflictionem.* Heb. עִנְיָן *occupationem*, operosam videlicet.

*Ei, qui placuit Deo.* Heb. לְטוֹב לִפְנֵי הָאֱלֹהִים, *bono in conspectu Dei.* Multa hîc Hebræi afferunt exempla impiorum, qui grandes divitias summo labore corraserint, eásque justis fruendas reliquerint. Sic, inquiunt, Cananæi triparci etiam oleo comparcebant, ut Israëlitæ, ipsorum potituri, abundantiores opes invenirent. Sic bona impii Haman ad Esther & Mardochæum pervenerunt, Esther 8.

*Sed & hoc.* Quod scilicet impius accumulet divitiarum acervos, quibus ipsi non utantur.

*Vanitas*, &c. Id est, inutilis est angor animi, & supervacua, ut sic dixerim, operositas.

---

## CAP. III.

*Cuncta oriri & occidere definito tempore: Deum autem exercere laboribus hominem: atque in ejus providentiam recumbere, & lætari homines oportere.*

1 *Omnia tempus habent.* Heb. לַכֹּל זְמָן, *suacuique rei tempestivitas*, ut optimè vertit Castalio. Sensus est, Cuilibet rei ad mortalem hanc vitam pertinenti ex Dei voluntate præstitutum est tempus, quo usum suum præbeat mortalibus, eóque elapso utilis & optabilis esse desinit. Hinc illud Boëtii lib. 2. de cons. metro. 2. *Sig-*

*Signat tempora propriis*
*Apta officiis Deus :*
*Nec quas ipse coërcuit,*
*Misceri patitur vices.*

Hinc & illud Catonis,

*Rem tibi quam noris aptam dimittere noli :*
*Fronte capillatâ, post est occasio calva.*

Q. d. Quoties opportunitas rei cujusvis agendæ sese obtulerit, manu injectâ ipsius occasionem arripe; nam occasio frontem habet capillatam, ut eâ parte prehendi possit: verùm si semel se verterit prætervolare cùm occipitio calva sit, tum reprehendi nequibit. Unde Evagrius Scholasticus lib. 3. Hist. Eccl. cap. 26. *Præceps est occasio, quæ ut cùm ad pedes accedit, forsan capi potest : sic cùm quasi è manibus elapsa est, in sublime subvolat, ridétque insequentes, ac de reliquo omnem aditum ad se illis penitùs præcludit. Itaque qui fingendi pingendique artem norunt, solent quidem in illius sincipite comam adhibere, in occipite velut abradere ad cutem; scite admodum innuentes, quod dum adhuc à fronte est, ab illis, qui comam ejus prehendunt, teneri potest : verum, ubi à tergo est, penitus evolat, nihil habens quo à persequente capi queat.*

*Et suis spatiis transeunt universa.* Heb ועת לכל חפץ, *& tempus omni voluntati*, id est, rei desideratæ, extra quod tempus eadem res non est desiderabilis.

*Sub cœlo.* Id est, In hac vita mortali.

2. *Tempus nascendi.* Heb. ללדת, *pariendi.*

3. *Tempus occidendi.* Hoc est, de maleficis commeritum supplicium sumendi.

*Tempus sanandi.* Hoc est, maleficia condonandi. Sic verbum רפא quod *sanare* pro *condonare peccata* sumitur Esa. 6. v. 10, &c.

4. *Tem-*

4. *Tempus flendi*, &c. Q. d.

*Adverſæ lacrymas res, ſævaque tempora planctum,*
*Proſpera ſed riſum lætitiamque ferunt.*

5. *Tempus ſpargendi*, &c. Id eſt, tempus eſt disjiciendi lapides ædificii collabaſcentis, & tempus eoſdem comportandi ad ejuſdem refectionem.

*Tempus amplexandi.* Hoc eſt, *concubii pudici*, quomodo concubitum jure conjugii factum vocat Gellius lib. 9. cap. 10. Idipſum eſt Virgilio 8. Æneid v. 405.

*Optatos dare amplexus.*

*Tempus longe fieri ab amplexibus.* Q. d. Secubitûs quoque tempus eſt. Judæi ſecubabant luctûs causâ, ut nos hîc docet Chaldæus Paraphraſtes, pœnitentiæ tempore, ut patet ex Joel 2. v. 16. & dum ad ſacrum ſolemne ſe parabant, ut colligitur ex Exod. 19. v. 15. & 1 Sam. ſeu Reg. 21. v. 4.

6. *Tempus acquirendi*, &c. Q. d.

*Dum nos mortalis vitæ commercia nectunt,*
*Acquirendi iſthic tempus, tempuſque recurſat*
*Perdendi : obtrudunt hanc mutua commoda legem.*
*Nec non interdum, juſto tibi parta labore*
*Quæ fuerint, prudens Injuſto ceſſeris ultrà.*

7. *Tempus ſcindendi.* Veſtes videlicet, ut in luctu.

*Tempus tacendi*, &c. Homer. Odyſſ. κ'. ὥρη μὲν πολέων μύθων, ὥρη δὲ καὶ ὕπνου, *tempus multæ confabulationis, & tempus ſomni.*

8. *Tempus dilectionis*, &c. Q. d. Uti non ſemper expediunt privatæ ſimultates aut amicitiæ, ſic bella publica, páxque communis alternam habent opportunitatem.

9. *Quid*, &c. Q. d. Quid ſe homo labore excruciat

ciat in tam pugnantibus & moleſtis occupationibus?

10. *Vidi*, &c. Id eſt, animadverti anxias hujuſmodi occupationes à Deo eſſe hominibus injunctas, ut iis occuparentur, neque eſſent otioſi.

11. *Cuncta*, &c. Q. d. Deus qui omnia benè fecit, pulchréque ſuis temporibus diſpoſuit, ſic mundum objecit inſpectioni hominum, ut tamen non perſpiciant rationem operationum divinarum.

*Fecit.* Heb. עשה, quod hîc eſt *ordinavit.*

*Bona.* Heb. יפה, id eſt, *pulchra*, vel *pulchre.*

*Mundum tradidit diſputationi eorum.* Heb. נתן בלבם, *dedit in corde eorum.* Id eſt, indidit in hominum mentes φιλοσοφειαν mundi.

*Ut non inveniat.* Heb. מבלי אשר לא ימצא, *abſque eo quod non inveniet.* Negatio לא *non* poſpoſita negationi מבלי *abſque* habet hîc vim magis negandi: Senſus itaque eſt idem ac ſi dicat, Sic tamen ut non comperiat.

*Opus quod operatus eſt Deus.* Id eſt, quâ ratione Deus faciat ea quæ facit.

*Ab initio uſque ad finem.* Si hæc ad Deum operantem referantur, idem ſonant ac ſi dicatur, Ab orbe condito uſque ad conſummationem ſeculi. Si ad hominem opera Dei ſcrutantem, ſignificant totam hominis vitam, q. d. Per omnem vitam ſuam. Si verò referantur ad hominem comperientem quo propoſito à Deo facta ſint quæ fecit, hæc circumlocutio, *Ab initio uſque ad finem*, idem erit ac *perfectè.*

12. *Et cognovi*, &c. Q. d. Atque ita compertum eſt mihi nihil eſſe beatius homine, qui jucundè vivat, & benè agat in vita ſua.

13. *Omnis enim homo.* Heb. וגם כל האדם, *& etiam omnis homo.* Q. d. Compertum quoque eſt mihi

mihi divinitùs dari homini, quòd ſenſibus indulgeat, quantùm ratio ſuadet, & videat bonum de labore ſuo, id eſt, pacatè fruatur opibus labore ſuo partis.

14. *Didici*, &c. Q. d. Novi rerum omnium à Deo conditarum naturas non poſſe immutari, eáſque eſſe omnibus numeris abſolutas, ut nihil in iis quod ad ipſarum complementum pertineat deſideretur, nihílque redundet. Deus autem eas condidit, ut diſceremus inde revereri omnipotentem ipſius ſapientiam ac majeſtatem, quæ elucet in univerſis rebus creatis.

15. *Quod*, &c. Q. d. Status & indeflexus eſt ab orbe condito rerum mundanarum circuitus, quod olim fuit, jam eſt, & quod futurum eſt, jam olim fuit.

*Et Deus inſtaurat quod abiit.* Heb. יבקש את נרדף, *quæret* ſeu *requiret perſecutum*, id eſt, præteritum, quod velut propulſum eſt à mox ſubſecuto tempore. *Quærere* ſive *requirere* pro *inſtaurare* poſitum eſt, ut Job 3. v. 4. Senſus itaque eſt, præterita renovari à Deo, ut nihil novi ſit ſub ſole. Chaldæus Paraphraſtes *requirere* ſumſit pro *ulciſci*, & *perſecutum* pro homine vexato, ſenſúmque eſſe putat, Deum ultorem eſſe iis, qui injuriam paſſi ſunt.

16. *Vidi*, &c. Heb. ועוד ראיתי, *& inſuper vidi.* Q. d. Prætereà cùm deprehendi graſſari iniquitatem & injuſtitiam in ſubſelliis & aulis principum, ubi jus & æquum vigere deberet inconcuſſum & inflexibile.

17. *Et dixi*, &c. Q. d. Ex hac hominum pravitate, quâ nocentem abſolvunt, damnántque innocentem largitate corrupti, aut aliis cauſis inflexi mente collegi fore ut Deus aliquando dijudicet juſtum & impium, cáque dijudicatione manifeſtum omnibus fiet quo conſilio, & quo fine quiſque fecerit opera ſua, etiam in ſpeciem bona. Et

*Et tempus.* Heb. *Nam tempus*, ſcilicet præſtitutum à Deo.

*Omni rei.* Heb. *Omni voluntati & ſuper omne opus*, ſupple, manifeſtandæ. Q. d. Tempus præſtitutum à Deo ad manifeſtandam occultiſſimam hominum voluntatem & intentionem, quâ unumquodque opus ſuum fecerint.

*Tunc erit.* Heb. שם, *illic*, id eſt, in ipſiuſmet Dei dijudicatione eſt.

18. *Dixi in corde meo.* Id eſt, ſuborta eſt mihi cogitatio.

*De filiis hominum.* Heb. על דברת בני האדם, *ſecundum rationem filiorum hominis.* Hoc Rabbini dictitant, כדרך בני אדם, *ſecundum morem filiorum hominis*, & Apoſtolus Paulus κατὰ ἄνθρωπον, *ſecundum hominem*, id eſt, ſecundum humanam rationem divina nondum capientem.

*Ut probaret eos Deus.* Heb: לברם האלהים, *ut clare & lucide oſtenderet eis Deus.* Sic Rabbi Salomon Jarchi exponit לברם pro לבור להם, *ut præpanderet illis.*

*Et oſtenderet.* Heb. ולראות, *& ut viderent*, ipſi ſcilicet homines perſpicuè.

*Similes eſſe beſtiis.* Heb. שהם בהמה המה להם, *quod ipſi jumenta ipſi ſibi*, hoc eſt, quòd ipſorum conditio nihil differat à conditione pecudis.

19. *Idcirco.* Heb. כי, *nam, quia.* Argumentum ſubortæ ſibi cogitationis proponit Salomon, q. d. Cùm deprehenderem eaſdem eſſe hominum & belluarum accidentias, ſubiit mentem hoc pacto voluiſſe Deum apertè declarare, ut nullus hominibus ſupereſſet ambigendi locus, ipſos videlicet homines parem ſortitos eſſe conditionem cum beſtiis.

*Unus*, &c. Q. d. Eadem ſolent homini & pecudi accidere, eodem modo videntur perire, & dum vivunt,

vunt, eandem auram vitalem ſpirant, nec eſt quo beſtiæ antecellat homo, cùm uterque ſit interitioni obnoxius.

*Interitus.* Heb. מקרה, *accidentia, eventum, caſus fortuitus.*

*Similiter ſpirant omnia.* Heb: רוח אחד לכל, *ſpiritus unus omnibus*, id eſt,

*Idem ſpiratur cunctis animantibus aër.*

*Amplius.* Id eſt, præſtabilius.

*Cuncta ſubjacent vanitati.* Hoc eſt, mutabilitati & interitioni. Heb. כי הכל הבל, *nam omnia vanitas*, id eſt, omnia ſunt occaſura.

20. *Omnia pergunt*, &c. Q. d. Animantia omnia, hoc eſt, tam homines quàm beſtiæ, ad terram recurrunt, ex qua eorum corpora facta ſunt. *Neque enim natura pateretur, ut id quod eſſet de terra, niſi in terra maneret.* Cicero de Repub. lib. 3.

21. *Quis novit.* Solâ videlicet nativâ ratione.

*Si ſpiritus filiorum Adam.* Id eſt, utrum anima hominis corpore ſoluti.

*Aſcendat ſurſum.* Hoc eſt, ad Deum, cui ſurſum in cœlo ſedes tribuitur.

*Et ſi ſpiritus jumentorum deſcendat deorſum?* Heb. additur לארץ, *in terram.* Id eſt, utrum anima brutorum, ut ipſa corpora ſub humo defoſſa, in terram vertatur? *Homo*, inquit Grotius, *ſolâ nativâ ratione nihil de eo comperti habet. Oſtendunt id Socratis, Tullii, Senecæ dubitationes.*

22. *Et deprehendi.* Supple, על דברת בני אדם, *ſecundum rationem humanam*, divina nimirum non capientem.

*Nihil eſſe melius*, &c. Q. d. Summum bonum hominis eſſe, dum vivit, quæſito hujus vitæ frivolo bono frui, & lætum ſorte ſuâ vivere; hæc quippe una

eſt

est voluptas, quam omni suo labore consequi potest, cùm nemo hominem certiorem reddere possit de eo quod post ipsius mortem sit eventurum.

## CAP. IV.

*Convertit se ad alia, rerum humanarum quasi censum agens, multáque in singulis offendit, quæ tranquillitatem animi turbare possint.*

1. VErti, &c. Q. d. Verti oculos mentis ad alia vitæ incommoda, quibus ejusdem vanitudo perspici potest, & pervidi oppressiones & injurias, quæ in hac vita fiunt, nec esse qui oppressos lachrymantes soletur, & vim passos sublevet.

*Calumnias.* Heb. העשקים, *oppressiones.*

*Et lacrymas innocentium.* Heb. והנה דמעת העשקים, *& ecce lacrymæ oppressorum.* Id est, oppressi delacrymant.

*Et neminem consolatorem.* Heb. ואין להם מנחם, *& non* est *illis consolator.* Id est, nemine consolante.

*Nec posse resistere eorum violentiæ.* Heb. ומיד עשקיהם כח, *& è manu opprimentium ipsos violentia.* Id est, ineluctabili vi opprimuntur.

*Cunctorum auxilio destitutos.* Heb. ואין להם מנחם, *nec* est *illis consolator*, qui nimirum ipsis animum relevet.

2. *Et laudavi*, &c. Q. d. Tunc ego judicavi potiorem jam defunctorum hac vitâ conditionem, quàm eorum, qui etiamnum vivunt, & utrorumque conditioni sortem nondum nati anteponendam esse duxi, quia expers est malorum, quæ à viventibus fiunt vel tole-

tolerantur. *Dictum hoc*, inquit Grotius, *fuisse Satyri narravit Aristoteles. Id sic expressit Chalcidamas :*

Ἀρχὴν μὲν μὴ φῦναι ἐπιχθονίοισιν ἄεισον.
Φύντα δ' ὅπως ἄκιστα πύλας ἀΐδαο περῆσαι.
*Optima sors homini non edi in luminis oras,*
*Aut natum subito penetralia Ditis adire.*

*Theognis verò in hunc modum :*

Ἀρχὴν μὲν μὴ φῦναι ἐπιχθονίοισιν ἄεισον,
Μηδ' ἐσιδεῖν αὐγὰς ὀξέος ἠελίου.
Φύντα δ' ὅπως ἄκιστα πύλας ἀΐδαο περῆσαι,
Καὶ κεῖσθαι πολλὴν γῆν ἐπαμησάμενον.
*Optima sors homini natum non esse, nec unquam*
*Aspexisse diem flammiferumque jubar :*
*Altera jam genitum demitti protinus Orco,*
*Et pressum multa mergere corpus humo.*

*Posidippus vero his verbis :*

Ἦν ἄρα τῶν πάντων τόδε λῷστον, μὴ γενέσθαι
Μηδέποτ', ἢ θανεῖν αὐτίκα πικτόμενον.
*Nil igitur satius quàm nunquam cernere lucem,*
*Vel modo conspecta luce repentè mori.*

B. autem Ambrosius in Ps. 118. Octon. 88. monet mortuum præferri viventi, *quia peccare desiit :* mortuo verò præponi nondum natum, *quia peccare nescivit.* Unde in libro de fide resurrectionis colligit, *nobis in votis esse debere mortem, cùm dies nativitatis origo sit incommodorum : & si viri sancti vitam fugiunt, quorum vita, etsi nobis utilis, sibi tamen inutilis æstimatur : nos id facere potiùs oportere, qui nec aliis prodesse possumus, & nobis vitam hanc quasi fœnebrem pecuniam usurario quodam cùmulo gravescentem oneràri in dies peccatorum ære sentimus.*

*Quàm viventes.* Heb. additur, אשר המה חיים עדנה, *qui etiamnum vivunt.*

3. *Natus est.* Heb. היה, *fuit.*

*Nec vidit mala quæ sub sole fiunt.* Heb. אשר לא ראה המעשה הרע אשר נעשה תחת השמש, *quia non vidit opus malum quod fit sub sole.* Hoc est, quia non expertus est ærumnas & miserias, quibus hæc vita est obnoxia. Præclarè itaque pro more præstantissimus Poëta Joannes Maury Doctor Theologus,

*Acciperet certè nemo, si vita scienti*
*Noscentíque dari posset; cùm quisque reclamet*
*Post acceptam illam, & nulli tam tramite lævi*
*Decurrat, quin sæpe sua de sorte queratur.*

4. *Rursum,* &c. Q. d. Aliud quoque deprehendi quod hanc vitam inamœnam reddat ac vanam, seu ad hominem beandum ineptam; quòd nempe invidiæ obnoxium sit quicquid laudabili operâ atque industriâ partum est.

*Omnes labores & industrias.* Heb. כל עמל ואת כל כשרון המעשה, *omnem laborem atque omnem rectitatem operis.* Hoc est, quicquid sibi quisque operosè industriéque peperit.

*Patere invidiæ.* Heb. כי היא קנאת איש מרעהו, *quòd sit invidia viri à socio,* id est, quòd sit occasio cur alter alteri invideat; nam aliorum commodis, laudi atque gloriæ maximè invideri solet. Unde Horatius Epist. 2.

*Invidus alterius rebus macrescit opimis.*

*Et in hoc ergo vanitas & cura superflua.* Heb. גם זה הבל ורעות רוח, *etiam hoc vanitas, & afflictio spiritûs.* Q. d. Hoc quoq; arguit vitam hanc non modò esse vanam, seu hominem beare non posse, sed & anxietatis esse plenissimam.

5. *Stultus,* &c. Q. d Invidus omnem prorsus fugit laborem, atque alienæ prosperitatis & philoponiæ im-

impatientiâ perroditur. Invidentia domicilium plerumque figit in cordibus eorum, qui nullius genii aut ingenii ſunt, nullis dotibus humanis & divinis conſpicui, ac nullius laboris aut induſtriæ; ſed ſtupidi atque ignavi. *Invidia ſequitur inertiam*, inquit Velleius Paterculus lib. 2. cap. 42. *Alit livorem infelix inertia, & omnes deſtrui cupiunt, quia ſe non potuerunt provehere*, ait Seneca de tranq. c. 2.

*Comedit carnes ſuas.* Id eſt, præ livore caro ipſius contabeſcit. Ovidius eleganti phantaſiâ corpus & figuram, actionéſque invidis ineſſe ſolitas tribuens invidiæ, ſic eam deſcribit 2 Metam. v. 776, & ſeqq.

*Pallor in ore ſedet, macies in corpore toto,*
*Nuſquam recta acies, livent rubigine dentes,*
*Pectora felle virent, lingua eſt ſuffuſa veneno,*
*Riſus abeſt; niſi quem viſi movêre dolores.*
*Nec fruitur ſomno, vigilacibus excita curis:*
*Sed videt ingratos, intabeſcitque videndo*
*Succeſſus hominum: carpitque & carpitur unà,*
*Suppliciumque ſuum eſt.*

Injuſtitiſſima omnium animi perturbationum eſt invidia, quia adverſus bonos ſe armat, & propter aliena bona eſt. Ut enim ait Cicero lib. 4. Tuſc. q. 17. *Invidentia eſt ægritudo ſuſcepta propter alterius res ſecundas, quæ nihil noceant invidenti.* Juſtiſſima tamen eadem dicitur, quia pœnam ſumit de invido, ipſúmque ceu dira & maligna lues exedit & conſumit. Unde illud cujuſdam Poëtæ,

*Juſtius invidiâ nihil eſt, quæ protinùs ipſum*
*Autorem rodit, diſcruciatque animum.*

Hinc *animi ærugo* dicta eſt invidia ab Horatio & Martiali, Prov. 14. v. 30. *Putredo oſſium invidia.*

3. *Natus est.* Heb. היה, *fuit.*

*Nec vidit mala quæ sub sole fiunt.* Heb. אשר לא ראה המעשה הרע אשר נעשה תחת השמש, *quia non vidit opus malum quod fit sub sole.* Hoc est, quia non expertus est ærumnas & miserias, quibus hæc vita est obnoxia. Præclarè itaque pro more præstantissimus Poëta Joannes Maury Doctor Theologus,

*Acciperet certè nemo, si vita scienti*
*Noscentique dari posset; cùm quisque reclamet*
*Post acceptam illam, & nulli tam tramite lævi*
*Decurrat, quin sæpe sua de sorte queratur.*

4. *Rursum*, &c. Q. d. Aliud quoque deprehendi quod hanc vitam inamœnam reddat ac vanam, seu ad hominem beandum ineptam; quòd nempe invidiæ obnoxium sit quicquid laudabili operâ atque industriâ partum est.

*Omnes labores & industrias.* Heb. כל עמל ואת כל כשרון המעשה, *omnem laborem atque omnem rectitatem operis.* Hoc est, quicquid sibi quisque operosè industriéque peperit.

*Patere invidiæ.* Heb. כי היא קנאת איש מרעהו, *quòd sit invidia viri à socio*, id est, quòd sit occasio cur alter alteri invideat; nam aliorum commodis, laudi atque gloriæ maximè invideri solet. Unde Horatius Epist. 2.

*Invidus alterius rebus macrescit opimis.*

*Et in hoc ergo vanitas & cura superflua.* Heb. גם זה הבל ורעות רוח, *etiam hoc vanitas, & afflictio spiritûs.* Q. d. Hoc quoq; arguit vitam hanc non modò esse vanam, seu hominem beare non posse, sed & anxietatis esse pleniſsimam.

5. *Stultus*, &c. Q. d Invidus omnem prorsus fugit laborem, atque alienæ prosperitatis & philoponiæ im-

impatientiâ perroditur. Invidentia domicilium plerumque figit in cordibus eorum, qui nullius genii aut ingenii sunt, nullis dotibus humanis & divinis conspicui, ac nullius laboris aut industriæ; sed stupidi atque ignavi. *Invidia sequitur inertiam*, inquit Velleius Paterculus lib. 2. cap. 42. *Alit livorem infelix inertia, & omnes destrui cupiunt, quia se non potuerunt provehere*, ait Seneca de tranq. c. 2.

*Comedit carnes suas.* Id est, præ livore caro ipsius contabescit. Ovidius eleganti phantasiâ corpus & figuram, actionésque invidis inesse solitas tribuens invidiæ, sic eam describit 2 Metam. v. 776, & seqq.

*Pallor in ore sedet, macies in corpore toto,*
*Nusquam recta acies, livent rubigine dentes,*
*Pectora felle virent, lingua est suffusa veneno,*
*Risus abest; nisi quem visi movêre dolores.*
*Nec fruitur somno, vigilacibus excita curis:*
*Sed videt ingratos, intabescítque videndo*
*Successus hominum: carpítque & carpitur unà,*
*Suppliciumque suum est.*

Injustitissima omnium animi perturbationum est invidia, quia adversus bonos se armat, & propter aliena bona est. Ut enim ait Cicero lib. 4. Tusc. q. 17. *Invidentia est ægritudo suscepta propter alterius res secundas, quæ nihil noceant invidenti.* Justissima tamen eadem dicitur, quia pœnam sumit de invido, ipsúmque ceu dira & maligna lues exedit & consumit. Unde illud cujusdam Poëtæ,

*Justius invidiâ nihil est, quæ protinùs ipsum*
*Autorem rodit, discruciatque animum.*

Hinc *animi ærugo* dicta est invidia ab Horatio & Martiali, Prov. 14. v. 30. *Putredo ossium invidia.*

Quæ verba ſic illuſtrat clariſſimus Maury, ex Antiſthene Socratis diſcipulo & Cynicorum ſectæ autore:

*Ipſe ſibi pœnas dat abunde lividus, etſi*
*Ultor abeſt alius: vitio tabeſcit adeſus*
*Ipſe ſuo, propria veluti rubigine ferrum.*

Grotius in eundem Proverbiorum locum, *Putredo in Hebræo nomen eſt generale, ſub quo comprehenditur & teredo. Menander:*

Μειράκιον, ἃ μοι καταγνοεῖν δοκεῖς ὅτι
Ὑπὸ τῆς ἰδίας ἕκαστα κακίας σήπεται,
Καὶ πάντα τὰ λυμαινόμενα ἔνεστιν ἔνδοθεν.
Οἷον ὁ μὲν ἰὸς τὸν σίδηρον, ἂν σκοπῇς,
Τὸ δ' ἱμάτιον ὁ σής, ἡ δὲ δρυὸς ξύλον.
Ὁ δὲ τὸ κάκιστον τῶν κακῶν πάντων φθόνος
Φθειρικὸν πεποίηκε καὶ ποιήσει καὶ ποιεῖ
Ψυχῆς πονηρᾶς δυσσεβὴς παρασάτης.

*Adoleſcens, id quod res eſt non intelligis;*
*Vitio ſuopte conſumuntur ſingula,*
*Et rei cujuſque pernicies intus latet:*
*Hoc eſt ferrugo ferro, ſi conſideres,*
*Ligno teredo, tineæque veſtibus:*
*Invidia verò, quod malorum peſſimum eſt,*
*Tabem creavit, & creabit, & creat,*
*Vera ſatelles animi corrupti impia.*

*Talis*, inquit Chryſoſtomus Hom. 45. ad populum, *eſthujus vitii malitia, ut ſe parientem prius offendat; & ſicut vermis de ligno naſcens, ipſum prius abſumit, ſic & invidia illam prius, quæ ſe peperit, animam corrumpit.* Et paulò pòſt: *Antequam ab externis hoſtibus, ab ipſo obſeſſus vitio tantum non conſumitur, & tanquam occultis depaſtus dentibus ita clanculum, ut ita dicam, abſumtus remanet.*

6. Me-

6. *Melior*, &c. Hanc ſententiam quàm plurimi cum Vulgato interprete per mimeſin intelligunt pendere ex præcedenti verſiculo; quaſi ita dicat, Stultus zoilus inertiſſimæ ſegnitiei ſuæ patrocinium quærens, abutitur pulcherrimâ hac ſententiâ : Multò præſtat tenuis res unà cum requie, quàm opulentia cum anxio labore & diſcruciatione animi. Hæc quippe veritas non nos adhortatur ad operis otium, ſed ad cavendum ſupervacuæ, ut ita dicam, operoſitatis negotium, quo conflictantur qui non ſunt contenti frugalibus opibus, quas natura poſtulat. *Si ad naturam vives*, inquit Seneca Epiſt. 16. *nunquam eris pauper : & ſi ad opinionem, nunquam eris dives : exiguum natura deſiderat, opinio immenſum.*

7. *Conſideranti*, &c. Q. d. Rurſum aliam præter ſuprà dictas in hac vita deprehendi vanitatem, ſeu ad beatè vivendum inutilitatem.

8. *Unus*, &c. Q. d. Eſt qui nullum habet omninò ſocium, nec ſanguine quidem propinquum, qui in partes ab ipſo ſuccedat opes, inexplebili tamen cupiditate oculos paſcendi aſpectu divitiarum, nunquam ceſſat in iis augendis deſudare atque elaborare, nec ſubit mentem ipſius hæc meditatio :

*Cujus erunt quæcunque paro, tantóque labore*
*Congero, eorumdem dum formidabilis uſus*
*Eſt mihi, dum trepido digitis ea tangere ſummis ?*

*Nec ſatiantur oculi ejus divitiis.* Benè *oculi*, ii enim ſoli divitiis fruuntur apud avarum, quem egregiè hoc verſiculo deſcribit Eccleſiaſtes. Unde præclarè Seneca Epiſt. 108. *Deſunt inopiæ multa, avaritiæ omnia. In nullum avarus bonus eſt, in ſe peſſimus.*

*Fraudo animam meam bonis.* Latini dicunt, *Genium defraudo.*

*In hoc*, &c. Q. d. Ergo qui non ſuâ aut ſuorum

necessitate adductus æstuat in aurum, desudátque in immani opulentia sibi parienda, certum non habens heredem, cui partam relinquat, is animum suum infestat occupatione permolestâ, quâ res vanior, seu ad beandum hominem ineptior nulla est.

9. *Melius*, &c. Presè refellitur hîc ingenium avarorum, qui putant se solis divitiis felices esse, & ideo ne cogantur eas cum aliis dividere, fugiunt amicitias, amant orbitatem, & nequis insidietur loculis eorum, cupiunt soli, nullo conscio degere adinstar Euclionis apud Plautum in Aulularia, qui unicam, quam domi habebat ancillulam, decies otiosè domo exturbabat, alium in ædes intromittebat neminem, & omne commercium cum vicinis amputans, hæc imperabat Act. 1. Scen. 2.

*Si quispiam ignem quæritet, extingui vola:*
*Ne causæ quid sit quod te quisquam quæritet.*
*Tum aquam ausugisse dicito, siquis petet.*
*Cultrum, securim, pistillum, mortarium,*
*Quæ utenda vasa semper vicini rogant,*
*Fures venisse, atque abstulisse dicito.*
*Profecto in ædes meas, me absente, neminem*
*Volo intromitti. Atque etiam hoc prædico tibi,*
*Si bona fortuna veniat, ne intromiseris.*

Dicit itaque Salomon in omni labore præstabilius esse ut duo sint consortes, quàm ut unus tantùm sibi ipsi laboret: nam amplissimum sui laboris præmium ferunt.

*Ergo.* Heb. Non est illatio, neque hæc veritas ex dictis sequitur, sed dicta confirmat novo argumento, q. d. Quod mox evicimus, avarum esse infelicem, ex eo quoque patet, quòd avarus neminem velit habere consortem, cùm tamen insignia sint consortionis emolumenta.

10. *Si*

10. *Si unus*, &c. Q. d. Etenim si alteruter consortium in infortunium inciderit, alter alterum allevabit. Hebraicè hîc & alibi passim adhibetur plurale pro singulari partitivo.

*Væ soli*, &c. Q. d. Infeliciter autem agitur cum illo, qui consortio caret, cùm non habeat qui sibi opem ferat, siquando infortunitatem incurrat.

11. *Et si dormierint duo*, &c. Q. d. Hoc quoque probat magnum ex societate & consortio nobis accedere commodum, quòd sit à natura comparatum, ut alius ab alio calefiat. Nam si duo simul in lecto concubent, facilè concalescunt, cùm non nisi difficulter calescat qui solus cubat.

12. *Et si quispiam* &c. Q. d. Quinetiam duo si fuerint consociati, facilè resistent ejus violentiæ, qui utricunque prævaluerit. Quàm enim difficilè vincatur & dissolvatur societas constat vel similitudine fili, quod, cùm per se tenue est & fragile, triplicatum tamen ægrè rumpitur. Simili ferè symbolo fasciculi telorum, quæ singula facillimè, juncta simul frangi nullo modo poterant, filios suos invictam concordiæ vim docebat Scilurus Scytha apud Plutarchum in Apophtheg. *Si concordes eritis*, aiebat, *validi invictique manebitis : contrà si dissidiis distrahemini, imbecilles & expugnatu faciles*. Huc etiam spectat quod narrat Stobæus Serm. 82. Sertorium Lusitanis suasisse concordiam, cùm juberet ut equi caudam totam simul velleret validus juvenis : hic autem irrito labore conatus, singulis postcà pilis nullo negotio vulsis, totam vulsit.

13. *Melior*, &c. Q. d. Adeò exigui momenti ad felicitatem sunt divitiæ à sapientia sejunctæ, ut multò sit felicior puer sapientiæ dotibus instructus, licèt opum præsidio destitutus, quàm rex ætate provectus & stultus, qui non patitur se moneri, sive non audit

rectè monentes de periculis, & casibus adversis, qui obrepere possunt, ut suæ publicæque saluti prospiciat.

*Qui nescit prævidere in posterum.* Heb. אשר לא ידע להזהר עוד, *qui nescit moneri amplius.*

14. *Quod*, &c. Q. d. Etenim sæpè accidit ut quis licèt puer aut pauper è mediis vinculis, id est, ex ima conditione & obscuro loco eveheretur sapientiâ suâ in regnum aut regiam majestatem, quomodo Joseph è carcere ad regnandum processit Gen. 41. v. 39. & 40. Sic Agrippam Herodis nepotem vinculis, quæ ei à Tiberio fuerant indita, liberatum fuisse à Caio Caligula, avíque principatui restitutum memorat Dio lib. 59. pag. 645.

*Et alius natus in regno, inopia consummatur.* Heb. כי גם במלכותו נולד רש, *quia etiam in regno suo natus eguit.* Id est, sicut & contrà stultus, qui rex natus est, cùm in stultitia sua consenuerit & induruerit, sæpè pauperatur. *Sic*, inquit clarissimus Grotius, *Telephum mendicantem in Tragædia introduxit Euripides. In ejusdem Helena sic Menelaus:*

Κακῶν δὲ θ' ἡμῖν ἔσκατον τοῖς ἀθλίοις
Ἄλλες τυράννες αὐτὸν ὄντα βασιλέα
Βίον περσωτεῖν.
*Malum meis hoc deerat extremum malis*
*Reges ut alios, ipse Rex olim, prece*
*Alimenta peterem.*

15. *Vidi*, &c. Q. d. Aliam adverti vanitatem in regum successione, nimirùm plerosque omnes in hac vita favere filio Regis in paternum regnum successuro. Hoc idem apud profanos autores legimus primùm à Pompeio, deinde à Tiberio usurpatum, *A plerisque adorari solem orientem.*

16. *Infinitus*, &c. Q. d. Verum ut infinita est eorum

eorum multitudo, qui lætantur de Rege olim regnaturo, ſic innumeri ſunt futuri, quibus illætabile erit regnum jam regnantis.

*Qui fuerunt ante eum.* Id eſt, à quibus eſt ambitus is, qui patri ſuo deſtinatus eſt regni heres. Heb. לפניהם, *ante eos*. Sic Lxx. *Sed*, inquit Mariana, *plurale pro ſingulari.*

*Et qui poſtea futuri ſunt*, &c. Q. d. Innumerabiles quoque erunt ii, qui poſtquam hic, quem nunc ſibi regem dari optant, & præ patre regnante amant, in paternum regnum ſucceſſerit, ipſum regnantem averſabuntur. Ab omni ætate populi eo fuere ingenio, ut non potuerint

——*Impoſitos unquam cervice volenti*
*Ferre duces*,

ut loquitur Statius.

*Sed & hoc*, &c. Heb. כי גם זה, *quia etiam hoc*. Q. d. Nam & ipſa aura popularis citò vaneſcit, neque beatitatis bono, ſed anxietatis & malo & damno hominem mactare poteſt.

17. *Cuſtodi*, &c. Hinc plerique initium capitis quinti ducunt, vulgò tamen à ſequenti tantùm verſiculo ſumitur. Cùm ſincerus Dei cultus unica ſit ratio vanitatum hujus vitæ vitandarum, breviter perſtringit Salomon ejuſdem cultus veram rationem. Monet itaque primò ut intrantes Templum *in omne argumentum modeſtiæ fingamur*, ut loquitur Seneca lib. 7. Nat. quæſt. cap. 30 juxta illud Levit. 19. v. 30. *Sanctuarium meum metuite* : hoc eſt, Jonathane interprete, לבית מקדשי תהון אולין בדחלתא, *in domum Sanctuarii mei reverenter ingrediemini.* Alludere autem videtur Salomon ad ritum diſcalceationis tunc apud Judæos ceteráſque Orientis gentes uſurpatum, cùm loca Deo colendo dicata intrarent. Hinc Juvenalis

nalis Satyrâ ſextâ de Judæorum Regibus ait,

*Obſervant ubi feſta mero pede ſabbata Reges.*

Ἀνυπόδητος θύε καὶ προσκύνει, *diſcalceatus ſacrifica & adora*, Symbolum erat Pythagoræ apud Iamblichum protrept. 21. Juſtinus Martyr in ſecunda Apologia editionis Pariſienſis pag. 95. ait gentium ſacrificulos præcipere ſolitos iis, qui deorum ſacraria, & Templa ingrediebantur, ut calceos detraherent. Quo ait eorum deos fuiſſe æmulatos illud veri Dei præceptum Moſi ex rubo ardenti factum, Exod. 3. v. 5. *Solve calceamentum de pedibus tuis; locus enim in quo ſtas terra ſancta eſt.* Probabile tamen eſt nudipediam longè priùs fuiſſe inductam in loca ſacra, Moſémque hoc præcepto tantummodò fuiſſe monitum de loci ſanctitate, & peculiari præſentiæ divinæ manifeſtatione, ut proinde ceremoniâ in locis ita ſanctificatis uſurpatâ Deum revereretur. Maimonides laudatum Levitici locum enucleans in tractatu inſcripto, בית הבחירה cap. 7. num. 2. *Qualis*, inquit in elegantiſſima verſione germani fratris mei Ludovici de Compiegne de Veil, M. A. *erit metus ille? Ut in montem ædis introëat nemo cum baculo, calceis, zona, cum pulvere pedibus inhærente, aut cum pecuniâ in veſtimento colligata: id verò nec dici quidem neceſſe eſt interdictum eſſe, ne in omni monte ædis deſpuatur, ſed hîc ambulanti, cùm neceſſe fuerit, in linteum ſuum ſcreandum: ut ne per montem ædis compendiariam inſtituat viam, introëundo per portam unam, & per adverſam exeundo; ſed montem extrinſecùs circumeat: denique ut intra montem ingrediatur nemo, niſi propter rem piam & laudabilem.* Et num. 4. *Qui poſt rem divinam abibant, hi non ita diſcedebant è Templo, ut ei tergum verterent, ſed retrò incedentes paulatim ſeſe mo-*

*movebant: tum ſenſim gradiebantur in latus quoad diſceſſiſſent ex atrio.* S. Gregorius in orat. funebri pro patre laudat matrem ſuam Nonnam, quòd in Templo Dei ne vocem quidem emitteret niſi de rebus myſticis & divinis, neque unquam tergum altari obverteret, aut ſacrum pavimentum conſpueret. Apud Abiſſinos *prohibitum eſt*, inquit Zaga Zabo eorum Epiſcopus, *ne aut gentes, aut canes, aut alia hujuſmodi animalia intrent. Item non datur poteſtas adeundi Templum, niſi nudis pedibus: neque licet in ipſo Templo ridere, obambulare, aut de rebus prophanis loqui, neque ſpuere aut ſcreare in ipſo Templo.* Vide Damianum à Goes de Æthiopum moribus. *Quod etiam nunc apud pleraſque Orientis nationes piaculum ſit calceata pede Templorum pavimenta calcaſſe*, Druſius adnotat ad Joſue 5. v. 15.

*Pedem tuum.* Utrumque ſcilicet. Scribitur enim Hebraicè רגליך *pedes tuos*, etſi Maſſorethæ legendum moneant רגלך *pedem tuum*, quomodo & veteres legerunt. Judæi in his occidentalibus regionibus, uti verè obſervavit clariſſimus Buxtorfius Synagog. Jud. lib. 5. cap. 5. *Ante Synagogam ferrum habent quoddam immuratum, ad quod quilibet calceo immundos aut cœnoſos abſtergere tenetur, idque Solomonis autoritate, qui*, Cuſtodi, *ait*, pedem tuum, &c. *Quiſquis crepidis indutus eſt, is eas immundas de pedibus ſuis detrahere tenetur, prout ſcriptum eſt,* Solve calceamenta, &c. Hoc ferè æmulantur Mahumetani. *Quicunque*, ait Bartholomæus Georgivez in libro de ritu & ceremoniis Turcarum, *veniunt ad orationem, debent abluere manus, pedes, &c. Poſtremo ter aquam ſpargunt ſuper capita, recitando hæc verba*, Elhemdu lillahi, *id eſt, Gloria Deo meo: deinde exutis calceamentis* Patſmagh *dictis, iiſque ante januam Templi relictis, introeunt, alii nudis pedibus, alii habentes munda calceamenta*

Meſth

Mesth *dicta.* Porrò scopus discalceatione, omníque externo adorationis symbolo intentus est, ut Dei majestas probè & seriò animis nostris concepta jus suum obtineat, & pro dignitate sua ritè suspiciatur. *Ejusmodi subsidiis*, inquit ingeniosissimus Calvinus in Jos. 5. v. 15. *adjuvanda est hominum infirmitas, quo se meliùs ad venerationem excitent & comparent.*

*Ingrediens domum Dei.* Id est, locum Deo dicatum, ut purè illic colatur.

*Et appropinqua ut audias*, &c. Heb. וקרוב לשמוע מתת הכסילים זבח כי אינם יודעים לעשות רע, *& propior sis ad audiendum, quàm ad dandam stultorum victimam, qui nesciunt se facere malum.* Q. d. Ingressus domum Dei magis sollicitus sis de voce Dei audienda, ejúsque jussis fideliter auscultandis, quàm de victimis extrinsecùs offerendis more impiorum, qui præ stultitia non advertunt Deum ipsorum placamentis implacabiliter irritari, quia corrigere se ad frugem negligunt. Josephus 6. Antiq. 8. ὁ Προφήτης οὐχ θυσίας ἔλεγεν ἥδεσθαι τὸ θεῖον, ἀλλὰ τοῖς ἀγαθοῖς· ἔστι δὲ εἰσὶν οἱ τῇ βελτίσει καὶ ταῖς ἐντολαῖς αὐτῶ κατακολουθοῦντες, καὶ μηδὲν ἄλλο προαχθήσεσθαι καλῶς ὑπ' ἑαυτῶν νομίζοντες, ἢ ὅ, τι ἂν ποιήσωσι τὸ θεῖον κινηλευκότες. Samuel *Propheta dixit non victimis oblectari Deum, sed viris bonis & justis. Hi vero sunt qui illius voluntati & jussis obsequuntur, nihilque credunt rectè à se fieri, nisi quod Dei jussu fecerint.*

CAP.

## CAP. V.

*Damnat vota temerè ſuſcepta : providentiam Dei ſubmiſſè colere præcipit : tandem ei inniti, & grato, jucundóque animo ipſius benedictionibus frui ac gaudere jubet.*

1. NE *temere quid loquaris.* Heb. אל תבהל על פיך, *ne feſtines ore tuo.* Id eſt, Deum oraturus, ne quicquam impræmeditatò & præcipitante ore tuo effutias. *Nihil enim ordinatum eſt quod præcipitatur & properat*, inquit Seneca.

*Neque cor tuum*, &c. Q.d. Neque animi inconſiderantia præproperè in ſermonem erumpat; Deus enim eſt majeſtate ſublimis, tu verò terra, pulvis, & vilis homuncio. Itaque ſi cum hominibus in aliqua dignitate conſtitutis pauciloqui ſumus, multò magis debes eſſe talis cum Deo, cujus *magnitudinem, qui ſe putat noſſe, minuit: qui non vult minuere, non novit*, inquit Minutius Felix. Ut enim præclarè Arnobius lib. 3. contra gentes, *Quicquid de Deo dixeris, quicquid tacitâ mentis cogitatione conceperis, in humanum tranſibit & corrumpetur ſenſum, nec habet proprie ſignificationis notam, quod noſtris dicitur verbis, atque ad humana negotia compoſitis. Unus eſt hominis intellectus de Dei natura certiſſimus, ſi ſcias & ſentias nihil poſſe de illo mortali oratione depromi.*

2. *Multas curas*, &c. Heb. כי בא החלום ברוב עניין, *quia venit ſomnium in multitudine occupationis*, &c. Secundam reddit rationem Eccleſiaſtes cur nos ad pauciloquium in precibus adhortetur, q. d. Ut enim in-

insomnia diurnas produnt occupationes juxta illud Claudiani de raptu Proserpinæ,

*Omnia, quæ sensu volvuntur vota diurno,*
*Tempore nocturno reddit amica quies.*

Sic oratio verbosa stultitiam orantis indicat. Cùm autem intimo animi affectui excitando non indicando in precibus ad Deum verba inserviant, quæ nihil nisi quod ipsum excitet complectitur oratio, nunquam verbosa dici potest. Facetè Philemon,

Τὸν μὴ λέγοντα τῶν δεόντων μηδὲ ἓν
Μακρὸν νόμιζε, κἂν δὶ' ἔτους συλλαβάς.
Τὸν δ' ἓν λέγοντα μὴ νόμιζ' ἐπὶ μακρὸν,
Μηδ' ἂν σφόδρ' ἔτι πολλὰ καὶ πολλὴν χρόνον.
Τεκμήριον δὲ τῶνδε τὸν Ὁμηρον λάβε.
Οὗτος γὰρ ἡμῖν μυριάδας ἐπῶν γράφει,
Ἀλλ' ὑδὲ εἷς Ὁμηρον ἔρηκεν μακρόν.

*Quicunque dicit ad rem quæ non pertinent,*
*Duas locutus syllabas prolixus est;*
*At bene dicentem ne prolixum dixeris,*
*Quantumvis dicat multa & multo tempore.*
*Ab Homero sume testimonium tibi;*
*Is cùm exaravit versuum tot millia,*
*Nemo est Homerum qui prolixum dixerit.*

3. *Siquid vovisti Deo.* Nempe licitum, & in tua potestate situm. *Manet enim*, ut verè advertit Calvinus ad Jesa. 19. v. 21. *semper votorum regula, quam prætergredi non licet: nempe verbum Dei, quo quid à nobis requirat, quid voveri & præstari velit, intelligimus. Nec enim unquam data est quidvis vovendi libertas, quod nimiùm licentiosi simus, nobisque omnia permittamus in Deum: atque impudentiùs cum ipso agamus, quàm si cum hominibus negotium esset. Homines igitur*

*igitur freno aliquo constringi & cohiberi oportuit, ne tantum sibi in cultu Dei & religione permitterent. Quæ cum ita sint, perspicuum est Deum nihil admittere aliud, quàm quod Legi ipsius consentaneum est: cetera omnia, ut aliena & superstitiosa repudiare. Quod ergo sponte voverit quispiam & sine testimonio Verbi, id ratum esse non potest. Idque si præstet, dupliciter offendit; primum quod temere vovit, ac si cum Deo luderet: deinde quod perperam & temere instituta perficit, cum potius supersedere & resipiscere debuisset. Tantum igitur abest ut votorum nomine quis obligetur, ut agnita temeritatis culpa cursum retro flectere oporteat. Nunc si quis de Papistarum votis inquirat, facile est ostendere ea nihil habere commune cum verbo Dei. Nam siquæ præ aliis commendant & legitima ducunt, impia & nefaria sunt, veluti monastica: quid de reliquis censendum erit? Vovent perpetuum cælibatum, acsi promiscue omnibus concederetur: atqui scimus continentiæ donum non vulgare esse, nec singulis promitti, etiamsi magnis alioqui dotibus ornati sint. Abraham singulari fide, constantia, mansuetudine, sanctitate pollebat: hoc tamen carebat dono. Christus ipse non omnibus hoc dari testatur, cum Apostoli hunc cælibatûs statum vehementer laudarent. Idem docet Paulus. Qui igitur hoc continentiæ dono destitutus est, si eam voveat, perperam facit, ac merito temeritatis suæ pœnas luet. Hinc horrenda impudicitiæ exempla, quibus merito Deus sub Papatu hanc arrogantiam ultus est. Vovent etiam paupertatem, quasi nihil proprium habituri, cum rerum omnium copia abundent præ aliis. Nónne hoc apertum Dei ludibrium est? Obedientia autem quam vovent, prævaricationis plena est. Excutiunt enim jugum Christi, quo se redigant in hominum servitutem. Alii vovent peregrinationes, abstinentiam carnis, observationes dierum, & alia superstitionum plena. Alii nænias & vanissima quæque Deo*

pro-

*promittunt, ac si cum puero ipsis negotium esset. Sic enim agere aut paciſci cum hominibus nos puderet: inter quos nihil prius ratum est, quam mutuo consensu utrinque conveniat. Quo minus in cultu Dei quicquam ſuſcipere fas est, nisi quod verbo ipsius testatum est. Qualis enim cultus erit, si judicium Dei nihil valeat, & soli hominum voluntati sit locus? An poterit id placere Deo? Nonne erit ἐθελοθρησκεία, quam Coloſſ. 2. v. 23. Paulus tantopere detestatur? Frustra igitur se Deo servire jactant, qui talia vota ſuſcipiunt: quoniam Dominus ejuſmodi cultum averſatur.*

*Ne moreris reddere.* Id est, quamprimùm potes præstare teneris. *Ita ut*, inquit Grotius ad hoc idem præceptum Deut 23. v. 21. *etiamsi res promissa perierit, propter moram debeatur æstimatio: optima ratione. Post moram enim rei interitus debitorem non liberat. l.* Nemo §. Si post. *D. de verb. obligat. l.* Si homines certi C. *de usuris & fructibus legatorum.*

*Displicet enim ei infidelis & stulta promissio.* Heb. כי אין חפץ בכסילים, *quoniam non voluntas*, scilicet Dei, *in stultis.* Q. d. Cùm Deo displiceant stulti, qui vota præstare negligunt, tu, ne ex illis sis, quodcunque in potestate tuâ situm ex pietatis regula in Dei honorem faciendum vel omittendum voveris, citra moram adimple.

4. *Multoque*, &c. Q. d. Longè consultius est nullâ promissione se obstringere ad res illas, quæ Deo absolutè reddi non debent, tanquam ab ipso præceptæ: sed adjutamenta sunt ad alacriùs mandatis ejus parendum; quàm eas non præstare ubi promissæ fuerint. Liberum quippe est hujusmodi res non promittere, sed qui nullâ necessitate compulsus eas Deo promiserit, reus sit irreverentiæ in Deum; si easdem perficere neglexerit. Vide Deut. 23. v. 21. & 22.

5. *Ne*

5. *Ne dederis*, &c. Q. d. Ne unquam os tuum aperias ad temerè vovendum in tui ipsius noxiam, neque si temerè voveris improvidum errorem excuses apud sacerdotem: ne offensus irreverentiâ Deus, & tua omnia malè perdat.

*Ut peccare facias carnem tuam.* Synecdoche, q. d. Ut reatu te ipse obstringas futiliter promittendo quod Deus non exigit. *Qui leviter ad vota prosiliunt*, inquit Calvinus in Deut. 23. v. 22. *vel mox dueuntur pœnitentiâ, vel serviliter tanquam vi adacti, nec sine molestia & tædio pensum solvunt, atque ita corrumpunt operis gratiam.*

*Neque dicas.* Nempe temeritatem vovendi excusaturus.

*Coram Angelo.* Id est, Drusio interprete, *coram Sacerdote. Nam tales Angeli quoque vocantur, ut Malach. 2. v. 7.* Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, quia Angelus Domini exercituum est. *Persimilis locus 1 Cor. 11. v. 10. ubi ait mulierem debere velatam esse* propter Angelos, *id est*, propter Episcopos, *ut exponit Ambrosius.* Hactenus Drusius. Porrò vota, quæ commodè solvi nequibant, Sacerdoti dicebantur, ut pretio ab ipso edicto redimerentur. Vide Levit. 27.

*Non est providentia.* Heb. כי שגגה היא, *quia est error ignoranter admissus*, hoc est, quòd improvidè, seu, ut Arnobii voce utar, *improvidentiâ* fueris raptus ad vovendum.

*Ne fortè iratus Deus.* Heb. למה יקצף האלהים, *utquid irascetur Deus?* Q. d. Cur enim dederis causam iræ divinæ?

*Contra sermones tuos.* Heb. על קולך, *propter vocem tuam*, irreverenter videlicet vota nuncupantem. Irreverens est in Deum, non modò qui vota legitima non præstiterit, sed etiam qui levitate vel

inconsiderato fervore vota nuncupaverit. Ut autem Deo suus honos illibatus maneat, nonnisi ex seria meditatione, veráque pietate vota sunt nuncupanda: *quia*, ut ait Calvinus in Deut. 23. v. 21. *vovendo homines in sanctificando Dei nomine se exercent, & species est jurisjurandi, aliquid Deo promittere: quia solemni ritu interponitur sacrum ejus nomen. Nam quod inter homines pactum dicitur vel conventio, Dei respectu votum est: ideoque apte dici potest sacra pactio, quæ non tantum fit Deo teste, sed cum ipso transigitur.*

*Dissipet cuncta opera manuum tuarum.* Heb. וחבל את מעשה ידיך, *and destroy the work of thine hands*, ut habet versio Anglicana, *& destruet opus manuum tuarum.* Q. d. Et Deus nomen suum levibus de causis arreptum à contemtu vindicaturus, dissipabit ac pervertet omnia consilia tua ac molimina, ut quicquid tentaveris, tibi infeliciter cedat. Hinc docemur, quicquid conentur homines, inutile fore & evanidum, nisi prosperum successum à Deo omnium bonorum largitore accipiant.

6. *Ubi multa*, &c. Heb. כי ברב חלמות והבלים ודברים הרבה כי את האלהים ירא, *etenim in multitudine somniorum, & vanitatum, & verborum plurimorum nisi Deum verearis.* Q. d. Nisi enim vigeat apud te quæ debet Dei reverentia, nihilo plus tibi proderunt quæ nuncupaveris vota, quàm multiplicata somnia, perplures hujus vitæ vanitates, *quæ*, inquit clarissimus Mercerus, *insomniis sunt similes, ideo forsan utrumque conjunxit*, & innumerabilitas vocum præcipitanter in aëre fusarum. Posterius כי positum esse pro כי אם, alii observarunt, sed ego reddo per particulam *Nisi*, quomodo כי אם sumtum legitur Gen. 32. v. 26.

7. *Si videris*, &c. Q. d. Neque à reverentia Dei te absterreat admiratio, dum vides per calumniam ege-

egenos opprimi, omniáque jura ſuſque deque haberi multis in locis, ac ſi nullum ſit numen, aut ſi ſit, mortalia non curet; ut enim divinitùs ordinatum eſt, ut excelſum excelſior obſervet, ejúſque pravitatem vindicet; ſic & ipſe Deus, qui eſt excelſus excelſorum, & orbi terrarum præſidet, omnes tam principes quàm ſubditos obſervat, ut ſuo tempore vel hîc vel in futurum commeritâ pœnâ in ſingulos animadvertat.

*Calumnias egenorum.* Heb. עשק רש, *oppreſſionem pauperis.*

*Et violenta judicia, & ſubverti juſtitiam.* Heb. וגזל משפט וצדק, *& rapinam judicii ac juſtitiæ,* id eſt, violationem juris ac æqui.

*Non mireris ſuper hoc negotio.* Heb. אל תתמה על החפץ, *ne hac re ſtupeas.* חפץ propriè ſignificat voluntatem, ſed pro re quavis ponitur, uti poſt Rabbinos obſervavere Vatablus, Mercerus & Druſius.

*Excelſo excelſior eſt alius.* Hebraicè additur, שמר, *obſervator.*

*Et ſuper hos quoque eminentiores ſunt alii.* Heb. וגבהים עליהם, quod rectiùs verteris, *& excelſus excelſorum ſuper eos,* ut nimirùm omnes obſervet ſummates, ne impunè & æquum pervertant, egenósque opprimant. *Sicut,* inquit Grotius, *dicunt Hebræi* κατ' ἐξοχὴν אלהים אלהים *deorum, pro* אלוה אלהים, *dea deorum,* & חכמות חכמות *doctrinarum pro* חכמת חכמות *doctrinarum,* & בהמות בהמות *ferarum pro* בהמת בהמת *fera ferarum:* ita hîc dicitur גבהים גבהים *excelſorum pro* גבה גבהים *excelſo excelſorum. Senſus eſt, Deum eſſe ſupra omnes ſummates hominum.*

8. *Et inſuper univerſæ terræ Rex imperat ſervienti.* Heb. ויתרון ארץ בכל הוא מלך לשדה נעבד, *& præſtantia terræ in omnibus, ipſe Rex agro ſervitur.* Grotius hunc verſum interpretans, *Videtur,* inquit,

*hic* ל *esse pro* ב, *ut dicatur sic Deus universo imperare quomodo Regi servitur de agro etiam in terra quæ ceteris plurimum præstat.* Quidam vertunt, *Rex agro servit.* בעבד, ait Drusius, *propriè servit continenter, ut* נדבר *loquitur frequenter. Niphal enim quandoque vim habent eorum verborum, quæ Latini Frequentativa vocant.* Atque ita sensus hujus versiculi erit idem ac si dicat, Verùm etsi agricolatores ferè summatum injuriis sint obnoxii, nulla tamen est inter mortales vivendi conditio tam sublimis, quâ non præstabilior fit agricolatio, cùm Reges ipsi, qui omnibus præcellunt & dominantur, honestâ animi voluptate agriculturæ serviant. Sanè, ut Hieronem taceam, & Philometorem, & Attalum, & Archelaum, etiam è piis Regibus Ozias seu Uzzias agriculturæ fuit addictissimus 2 Paral. 26. v. 10. Saülem etiam factum Regem agriculturæ deditum fuisse probare nonnulli conantur ex 1 Sam. 11. v. 17. Et Romæ præcipui duces, ut Camillus, Regulus, Fabius, Cato, Serranus, Cincinnatus ex aratro petiti sunt. Apud Homerum Iliad. 18. v. 550. in scuto Achillis messores expresserat Vulcanus maturas segetes colligentes, & Regem ipsum in sulco stantem, & in proximo operariis prandium parantem. In Prophetis & Patriarchis agricultores fuisse constat Noë, Isaacum, & Elisæum. Quin & agriculturæ necessitas & præstantia inde apparet, quòd eorum omnium, quæ ad hanc vitam pertinent, solum panem disertè petimus, ut summè necessarium. Et החרש *arator* à Deo ipso dicitur edoceri Es. 28. v. 26. Et Deus ipse suo modo est agricola, Joa. 15. v. 1. & fideles θεοῦ γεώργιον *Dei agricultura*, 1 Cor. 3. v. 9. & pastores Dei cooperarii in sacra hac agricolatione. Jam ex tot legibus à Mose latis, quæ ad facultates, copiásque, atque ad ea opera pertinent, ex quibus aliquid acquiritur, omnes ejusmodi sunt, ut de

de agrorum cultu aliquid ſingulare tradant. Sollicitè docetur populus, quando requiem terræ dare, & ſementem intermittere oporteat: quid in meſſibus & vindemiis ſervandum ſit: quoto anno ex vinea fructum capere fas ſit. Magnâ ſeveritate interdicitur, ne diverſi generis ſemina uni agro mandentur: Complexus eſt omnia, quæ ad agriculturam ſpectant, Maimonides in libro quem זרעים appellat. Neque dicendum eſt terræ colendæ neceſſitatem ex peccato veniſſe, cùm etiam ante peccatum colendo horto, quem Deus plantaverat, Adamus deſtinatus fuiſſe dicatur Gen. 2. v. 15. Tantùm operi, jam ante peccatum neceſſario, difficultas ex peccato acceſſit; quia terra, propter peccatum hominis maledicta, non reſpondet labori noſtro, & cultoris ſpem plerumque eludit. Hinc Siracides *ruſticationem γεωργίαν creatam ab altiſſimo* dicit Eccleſiaſtici 7. v. 16. *Nunquid*, inquit Aug. lib. 8. de Geneſi ad literam cap. 8. *fortè agriculturam Dominus voluit operari primum hominem? An non eſt credibile quòd eum ante peccatum damnaverit ad laborem? Ita ſane arbitraremur, niſi videremus cum tanta voluptate animi agricolare quoſdam, ut eis magna pœna ſit inde ad aliud avocari. Quicquid ergo deliciarum habet agricultura, tunc utique longe amplius erat quando nihil accidebat adverſi vel terrâ vel cœlo. Non enim erat laboris afflictio, ſed exhilaratio voluntatis, cùm ea, quæ Deus creaverat, humani operis adjutorio lætiùs feraciúſque provenirent, unde creator ipſe uberius laudaretur, qui animæ in corpore animali conſtitutæ rationem dediſſet operandi, ac facultatem, quantum animo voleuti ſatis eſſet, non quantum invitum indigentia corporis cogeret.*

9. *Avarus*, &c. Q. d. Longè fortunatiores ſunt φιλογεώργοι *agriculturæ dediti* φιλαργύρεις *pecuniæ avidis*; qui enim æſtuat in aurum, nullâ divitiarum

copiâ expleri poteſt, & qui inhiat opum multitudini, præ deſiderio coacervandi genium fraudat, nec partis fruitur. Juvenalis Sat. 14.

*Intere à pleno cum turget ſacculus ore,*
*Creſcit amor nummi, quantum ipſa pecunia creſcit:*
*Et minus hanc optat qui non habet.*

*Qui amat divitias.* In Hebræo eſt חמון, quod *multitudinem* ſignificat, hîc ex vi ſubjectæ materiæ intelligi debet de multitudine opum, ſeu magna divitiarum affluentia, ut Pſal. 37. v. 16.

*Fructum non capiet ex eis.* Heb. לא תבואה, *non proventus*, ſeu *fructus*, ſupple, eſt illi. Nam cùm divitiæ non ſint propter ſe appetibiles, ſed *tum ad vitæ uſus neceſſarios, tum ad perfruendas voluptates*, ut ait Cicero. 1. de Officiis, infructuoſæ ſunt avaro, qui illis uti non audet, ſed avidè ipſas ciſtis includit, & aliis & ſibi etiam vitæ neceſſaria denegat.

*Et hoc ergo vanitas.* Q. d. Cùm inexplebilis ſit pecuniæ aviditas, nec ullis opibus, quantæ quantæ ſunt, ſatiari poſſit appetitus augendæ rei familiaris, palàm fit divitiarum poſſeſſionem eſſe inanem illâ beatificâ voluptate, quâ penitùs expletur omne deſiderium, plenéque omnis metus excluditur.

10. *Ubi multæ ſunt opes*, &c. Aliâ ratione probat Eccleſiaſtes felicitatem veram in divitiis non conſiſtere, quia nimirùm quò copioſiores eæ fuerint, eò pluribus egetur miniſtris, qui eas exedunt & devorant. Clarè autem id agnovit Pheraulus apud Xenophontem lib. 8. Cyropædiæ cum Cyro ſermocinans, dum oſtendit ſe non eſſe feliciorem, quòd multa poſſideat, nec ullo modo bibere, comedere, dormire jucundiùs, quàm cùm erat pauper; ſed hoc adeptum, ut plura neceſſe ſit cuſtodire, plura ſibi ſint negotia. *Nunc enim*, inquit, *famuli cibum multi à me petunt, multi potum*,

*potum, multi amicus, &c. Necesse est etiam eum, qui multa possidet, multum facere sumtum, & erga deos, & erga amicos, & erga hospites. Qui ergo valde pecuniis delectatur, certò hunc scito etiam valde tristari, si sumtum faciat.*

*Et quid prodest*, &c. Heb. ומה כשרון לבעליה, *& quæ utilitas dominis earum.* Hæc tertia est ratio, quâ constat beatitatem non esse sitam in divitiis; quia videlicet numatio, & quarumvis rerum affluentia nihil est nisi oculorum pabulum. Profectò nec diviti plus uno est ore quo vescatur, aut ventre, quem inferciat. *Ipsas*, inquit Cyrus loco mox laudato Xenophontis, *pecunias, cum domi plurimas habeant, neque comedunt plus, quàm ferre possunt, frangerentur enim: neque pluribus vestimentis induuntur, quàm ferre queunt, alioquin suffocarentur.* Hinc cæca & sordida divitiarum cupido distinguitur à cupiditate voluptatum corporearum, & vocatur ἐπιθυμία τῶν ὀφθαλμῶν, *concupiscentia oculorum*, 1 Joan. 2. v. 16. Menander,

Ψυχὴν ἔχειν δεῖ πλουσίαν. τὰ δὲ χρήματα
Ταῦτ' ἐστὶν ὄψις παραπέτασμα τοῦ βίου.
*Esto animus dives. Nam divitiæ ceteræ*
*Poscendis oculis vita sunt choragium.*

*Nisi quod cernit divitias oculis suis.* Heb. כי אם ראות עיניו, *nisi aspectus oculorum ipsorum*, id est, nisi quòd oculi divitias possidentium, earumdem aspectu perfruantur.

11. *Dulcis est somnus*, &c. Q. d. Qui quotidiano & continuo labore suo victitat, sine molestia & interruptione somnum quietum dulciter capit, sive multùm sive parùm cibi sumserit. Si enim multùm comederit, labor cibum facillimè concoquet & conficiet, neque ulla in stomacho suborietur cruditas

& δυσπεψία, quæ somnum impediat : si verò parùm, quietè & suaviter dormire sinet, quia labore diurno fatigatus, placidus & gratissimus ei somnus etiam non petitus occurret. Contrà divitiæ dormire minimè sinunt, seu propter anxiam possessoris de illis curam, animum ejus per noctem totam vexantem, perpetuúmque de iis amittendis timorem : seu propter ingestum nimium cibum ; hic enim in otiosis divitibus ob tardam ejus coctionem & digestionem pacatum otium sensuum perturbat, & somnum prorsùs abrumpit.

*Saturitas.* Id est, opum abundantia, vel intemperantia in esca.

*Non sinit eum dormire.* Præclarè Ambrosius in Ps. 1. *Quomodo enim dormire potest, qui sollicitam auri exercet custodiam, qui damna formidat, qui lucra cogitat, qui usuras computat, qui hypothecas numerat?* Æneas Sylvius lib. 4. Comment. in res gestas Alphonsi Arragonum Regis narrat de Sigismundo Imperatore quadragesimo Germanorum, quòd cùm aliquando ex Hungaria quadragena millia aureorum ei allata essent, eáque læto animo accepisset, in cubiculum veniens, ubi in thalamo regio thesaurus iste reconditus fuit, dum cogitat, in quemnam usum pecuniam eam convertat, somnus eum destituit. Tum ille excitatis cubiculariis : Ite, inquit, ocyùs, Consiliarios, Ducésque omnes militum huc accersite. Vocati Proceres mediâ nocte trepidi, timebant enim ne quid adversi accidisset, Imperatorem celeriter adeunt, & quæ causa sit tam repentinæ vocationis inquirunt. Videte, inquit, carnifices meos, loculos aurum continentes demonstrans, qui mihi somnum eripiunt : accipite eos, & inter vos dividite. Liberatus ab hac pecuniæ cura, Nunc recessit à me, inquit, tortor ille, qui me flagellavit : meliùs deinde quiescam.

12. *Eſt*, &c. Q. d. Graviſſimum hoc quoque deprehendi in hac vita incommodum, quòd nimirùm divitiæ pleriſque divitibus ſint irritamenta malorum in propriam ipſorum perniciem. Novum argumentum quo liquet ſummum hominis bonum non conſiſtere in divitiis, cùm nihil magis à ſummi boni natura alienum ſit, quàm ut ipſo fruentem deteriorem reddat.

13. *Pereunt enim.* Supple ex textu Hebræo, divitiæ.

*In afflictione peſſima.* Hoc eſt, miſerè. Heb. בעִנְיַן רַע, *in occupatione mala*, id eſt, dedecorosè. Senſus hujus verſiculi eſt idem ac ſi dicat, Sæpè enim bona ſua dives indecorè dilapidat, ſicque expeculiatus filium, quem generavit, in ſumma egeſtate relinquit.

14. *Sicut*, &c. Q. d. Hoc quoque probat felicitatem non eſſe ſitam in bonis externis, quòd nimirùm ea tantùm data ſint ad uſum præſentis vitæ, quæ brevis eſt, & ſicut eorum nihil affert homo dum naſcitur, ſic denaſcens nihil effert. Id de ſeipſo palàm profeſſus eſt Job cap. 1. v. 21. *Nudus*, inquit, *egreſſus ſum ex utero matris meæ, & nudus revertar illuc.* Quæ verba ſic illuſtrat Gregorius Magnus, *Nudum me naſcentem & in hanc lucem venientem terra protulit: nudum me hinc exeuntem & diſcedentem terra recipiet: per uterum enim matris, terræ gremium innui voluit.* Divus quoque Chryſoſtomus locum hunc Jobi de eadem matre accepit: *Cujus*, inquit, *uteri meminit? Nempe primi illius opificii, ſuæque è terra coagmentationis primi parentis opificium imitantis. Nudus è terra divino munere conformatus ſum, minime fucatus, nullâ re ſupervacaneâ oneratus, ac prope dixerim à materiæ concretione ſecretus. Ergo nudus quoque revertar illuc. Quo? Nempe ad locum plangore liberum. Si enim ad*

*cum*

*eum uterum, qui in promptu eſt, cogitationem traduxeris, crediderisque maternum alvum, unde extitiſti, tibi rurſus ſubeundam eſſe, rationis decorum atque verborum apta conſecutio perierit.* Hæc Chryſoſtomus, cujus textus Græcus non eſt mihi ad manum. Hanc interpretationem ſequuntur Thomas Aquinas, Cajetanus, Pineda, Sanctius, & alii. Quòd verò terra non ſolùm hominum, ſed animantium etiam omnium mater appelletur, è prophanis agnoverunt Apuleius lib. de Mundo: *Genitrix*, inquit, *atque altrix animantium omnium tellus*: & Plinius lib. 2. Hiſt. Nat. cap. 63. de terra ſic loquens: *Cui uni rerum naturæ partium, eximia propter merita, cognomen indidimus maternæ venerationis. Sic hominum illa, ut cœlum Dei; quæ nos naſcentes excipit, natos alit, ſemèlque editos Juſtinet ſemper: noviſſime complexa gremio jam à reliqua natura abdicatos, tum maxime, ut mater, operiens.* Ennius apud Varronem: *Eſt corpus terra, quæ dederat ipſa capit, neque diſpendii facit hilum.* Alibi: *Quæ dedit denuò: iſthæc dat cibaria, iſthæc omnibus fruges gerit.*

*Et nihil auferet ſecum de labore ſuo.* Id eſt, de opibus, quas ſuo labore quæſivit. Hebraicè habetur ומאומה לא ישא בעמלו שילך בידו, *nec quicquam exportabit de labore ſuo, quem venire fecerit in manum ſuam.* Id eſt, cui manum admoverit.

15. *Miſerabilis*, &c. Q. d. Grave omninò eſt hoc divitiarum incommodum, quòd omninò tandem ſint relinquendæ; ut enim abſque facultatibus homo venit in hunc mundum, ſic omnibus bonis & facultatibus ſpoliatus ex eo abibit. Sic Martialis,

*Rape, congere, aufer, poſſide, relinquendum eſt.*

*Quid ergo prodeſt ei quod laboravit in ventum?* Id eſt, fruſtrà

fruſtrà igitur homo magno labore opes accumulavérit. Tale illud Græcum,

Γῆς ἐπέβην γυμνός. γυμνὸς θ' ὑπὸ γαῖαν ἄπειμι·
Καὶ τί μάτην μοχθῶ γυμνὸν ὁρῶν τὸ τέλος.
*Nudus in hanc veni tellurem; nudus abibo:*
*Quid ſatago nudum natus ad exitium?*

16. *Cunctis diebus*, &c. Q. d. Eſt & aliud divitiarum incommodum, quòd videlicet qui ſitit eas,

*Omnes ille dies ducet queribundus acerbos,*
*Omnes ille malos, nec læta illuxerit hora.*

Ut enim præclarè ait Julianus Pomerius lib. 2. de vita contemplativa cap. 13. *Qui divitias habere volunt, ſine labore non quærunt, ſine difficultate non inveniunt, ſine cura non ſervant, ſine anxia delectatione non poſſident, ſine dolore non perdunt.*

*Comedit in tenebris.* Id eſt, Vitam vivit pertriſtem. Triſtitia in morem tenebrarum conſternat faciem, eámque nubilam, luridam & atram efficit. Hinc illud Joannis Maury Doctoris Theologi in Prov. 15. v. 13.

*Triſtitiæ facies internum lurida vermem*
*Demonſtrat, qui cor, qui roſtro rodit adunco*
*Ipſam etiam mentem, tortore immanior omni.*
*Sol ipſe & puri ſpecies eſt aëris iſti*
*Infeſta, & denſa malit caligine cingi*
*Triſtatur quiſquis, quàm clara luce videri.*

*Et in curis multis.* Heb. וכעס הרבה, *& tædio multo afficitur.* כעס hoc loco eſſe verbum, non verò nomen, docent puncta vocalia textûs Hebræi. Significare autem hoc vocabulum, *Iraſci, ad iram, vel indignationem, aut alium triſtem animi affectum commoveri, ſeu extimulari*, obſervat Mercerus in Pagninum.

כעס

כעס *nomen eſt tædium, quod manat à curis & ſollicitudine*, inquit clariſſimus Druſius.

*Et in ærumna atque triſtitia.* Heb. וחליו וקצף, *ægrimoniáque eſt ei, & excandeſcentia.* Q. d.

*Numati toti mordax vitæ incubat angor.*

17. *Hoc itaque*, &c. Q. d. Cùm tot & tantæ ſint divitum anxietates & mœſtitiæ, ille mihi viſus eſt ſapienter vitam inſtituere, qui partis labore ſuo bonis ſuaviter fruitur, æquáque ſibi indulget, dum Dei munere vivit; hoc qnippe unum ex omni rerum affluentia ipſius affluentis proprium eſt, quo vivens utitur. Lepidum eſt hanc in rem Græcorum epigramma:

Πλουτεῖν φασί σε πάντες, ἐγὼ δέ σ' φημὶ πένεσθαι,
Χρῆσις γὰρ πλούτε μάρτυς Ἀπολλόφανες.
Ἂν μὲν κτήσῃ αὐτῶν σὺ, σὰ γίγνεται. ἂν δὲ φυλάττῃς
Κληρονόμοις, ἀπὸ νῦν γίγνεται ἀλλότρια.
Πλοῦτον μὴ πλουτοῦντ' ἔχεις, ψυχὴν δὲ πένητ'.
Ὦ τοῖς κληρονόμοις πλούσιε, σοὶ δὲ πένης.

*Sis aliis dives; certe mihi pauper haberis:*
*Divitias uſus monſtrat, Apollophanes.*
*Uteris ipſe bonis? Tua ſunt. Heredibus autem*
*Quæ ſervas, jam nunc hæc aliena puto.*
*Divitiis locuples, animo ſed paupere vivis,*
*Heredi dives, pauper at ipſe tibi.*

*Bonum.* Heb. טוב אשר יפה, *bonum quod & pulchrum.* Editio Græca ὃ ἐστι καλὸν, *quod eſt pulchrum*, id eſt, honeſtum.

18. *Et omni*, &c. Q. d. Quin & conceſſâ ſibi cœlitùs opulentiâ utendi poteſtas, háncque portionem ſuam ex bonis labore ſuo partis capiendi facultas cum animi benè ſibi conſcii lætitia, Dei donum eſt, quod non cuivis contingit aut datum eſt. Hoc Horatius dicit,

*Di*

*Dî tibi divitias dederunt, artémque fruendi.*

19. *Non enim satis recordabitur*, כי לא הרבה יזכר, *quia non multùm recordabitur*, id est, parùm recordari solet.

*Dierum vitæ suæ.* Scilicet, labentium. Q. d. Vix enim sentit labi dies suos præ suavitate, atque lætitiâ, quâ ipsius animum perfundit bonus divitiarum usus sibi à Deo datus.

*O vita misero longa, felici brevis!*

*Occupet deliciis cor ejus.* Heb. משגה בשמחות לבו, quod Rabbi Jonas interpretatur, teste Kimhi in libro Radicum, *facit ut is vacet & indulgeat lætitiæ cordis sui*; alii verò reddunt, *Respondet in lætitia cordis ejus. Quasi dicat*, inquit clarissimus Mercerus, *Deus enim ei lætitiam animi concedit, largitur, & suggerit lætitiæ materiam, dum facit ut jucundè suis fruatur: quo fit, ut tali lætitia divinitùs animo suo concessa, vitæ tot tædia fallat, & molestias innumeras ac immensas discutiat.*

---

## CAP. VI.

*Miserrimam avari divitis conditionem depingit.*

1. *Est & aliud malum*, &c. Vox *aliud* abest à textu Hebræo, & paraphrasi Chaldæa. Sensus hujus versiculi est idem ac si dicat, Est quoddam genus infelicitatis à me deprehensum in mundo, quod quidem frequens est apud homines, eósque prægravat.

Es

*Et quidem frequens apud homines.* Heb. ורבה היא על האדם, quod alii vertunt, *& quidem magnum eſt ſuper hominem*, id eſt, homini prægrave. אדם nomen eſt collectivum.

2. *Vir*, &c. Q. d. Eſt cui Deus dat opes & gloriam, cæteráque omnia, quæ exoptat, nec tamen dat eidem animum illis utendi, ut extrarius iis tandem potiatur.

*Hoc vanitas & miſeria magna eſt.* Id eſt, hoc non modò nullam diviti affert utilitatem, ſed etiam eundem cruciabilibus pœnis afficit.

*Miſeria magna.* Heb. חלי רע, *infirmitas mala*, q. d. Gravis incommoditas. Hinc illud Rabbinorum adagium, חכיליות דומה למרדעת חחמור אשר תזיק אליו ותועיל לרוכבו: כן חכיליות תזיק לבעליו ותועיל ליורשיו; *Avaritia clitellis aſini perſimilis eſt; ut enim illæ incommoditatem aſino, & ſeſſoribus ejus commoditatem præſtant: ſic avaritia incommoda eſt avaris, & commoda eorum heredibus.* Phædrus,

*Tibi dico, avare, gaudium heredis tui.*

3. *Si genuerit*, &c. Q. d. Siquis numeroſam habeat prolem, & in multas ætates pro voto ſuo vitam producat, bona tamen quibus affluit, in arcas & horrea includat, nec eis utatur ſive ad explendum animum dum vivit, ſive ad funerum ſolemnia ſibi procuranda dum moritur, dico hujuſmodi viri conditionem eſſe longè magis infelicem, vilem & deſpicabilem, quàm ſit ſors abortivi. *Quod*, inquit Joannes Plantavitius Pauſanus Epiſcopus Lodovenſis, *de divitis avari ſepultura hic dicitur, de illa ſolùm intelligi debet, quæ ſplendida eſt, & teſtis benevolentiæ propinquorum, cui & nominis & rerum præclare geſtarum adſit elogium, qua carere ſolet abortivus; ſicut enim hic terra tegi*

*ſolùm*

*solùm solet sine ullo solemni ritu, adinstar brutorum, eo solum sine ne tabe & putredine noceat aliis: ita ille pariter adinstar ceterorum hominum vulgarium, absque pompa & solemni ritu terræ mandari solet, ne ceteris similiter putredine sua noceat.*

*Frustrà enim venit*, &c. Q. d. Siquidem avarus bonis, quibus affluxit, uti noluit; ac abortivus non potuit uti bonis, quibus caruit. Incassùm enim abortivus in hanc vitam prodiit, eâ non fruiturus, & in tenebrosum sepulchri carcerem statim à nativitate conjectus, venit in oblivionem.

5. *Non vidit solem*, &c. Q. d. Abortivo fuit vitæ usura tam brevis, & in tam obscuro loco, ut solem nunquam viderit, neque cognoverit vir viro quid præstet. Hinc Antitheton Pauli 1 Cor. 15. v. 8. *Tanquam abortivo visus est & mihi.* Q. d. Christus etiam visus est à me, quamvis in rebus, quæ adsalutem pertinent, olim tam cœco, quàm cœcus est abortivus ad lumen solis.

*Distantiam boni & mali.* Heb. נחת לזה מזה, *requiem hujus præ illo.* Id est, quis mortalium sit ceteris felicior.

6. *Etiamsi*, &c. Qui se bonis avariter privat, licèt bis mille annos vixerit, non tam vixisse dicendus est, quàm perdiù accurrisse ad sepulchrum, qui locus est communis omnium, quando vitâ excesserunt. Hoc sic metricè quàm eleganter hîc exprimit clarissimus Doctor Theologus Joannes Maury,

*Quo plures vitæ Deus illi commodat annos,*
*Si bis dena ejus tribuat quoque secula votis,*
*Hoc miser ærumnas sibi plures aggerat, illo*
*Vitæ nullo usu, longam quam dicere mortem*
*Conveniat potiùs. Namque haud est vivere, vitæ;*
*Munere sed vitæ recreari, utique decenter,*

*Ejus*

*Ejus mulceri leni placidóque meatu.*
*Sin aliter; Muscæ illa bonum, vermísque putanda est,*
*Si per se ac nudam speciem, rationis egentem*
*Consilio, dignaque hominis virtute carentem.*
*Canos ille senex, multos numerabit & annos;*
*Nec vixisse diu spatio dicetur ab illo.*
*Ille diu tantum fuerit. Velut æquore ductus*
*Gyrum in multiplicem qui tempestatibus errat,*
*Jactatur tantum, non navigat, actus in orbem.*
*Unde & abortivus spatio breviore, moraque*
*Par confecit iter, neuter cum vivere visus,*
*Quando & uterque locum pariter properavit ad unum.*
*Momentum extremum cursum æquiparavit utrumque,*
*Par fugitiva dies longo fuit unica seclo.*

7. *Omnis labor*, &c. Hoc est, licèt humanus labor huc omnis desudet, ut naturæ necessitatibus fiat satis: animi tamen cupiditati omninò satisfieri non potest, cùm neque copiâ, neque inopiâ minuatur. Unde illud,

*Tota die avet aviditas.*

*In ore ejus.* Heb. לפיהו, *pro ore ejus.* Id est, pro victu, qui ore sumitur. Synecdochicè autem *victûs* appellatio comprehendit ea omnia, *quæ esui, potui, cultuique corporis, quæque ad vivendum hominibus sunt necessaria*, ut Ulpianus in jure Romano tradidit.

8. *Quid*, &c. Heb. כי מה, *nam quid.* Q. d. Hoc quippe uno præstat sapiens stulto, & pauper diviti, quòd frugalibus opibus, quas natura postulat, alimento, tecto, & vestimento contenti sunt. Egregiè hunc versiculum illustrat sequenti carmine clarissimus Maury,

*Est, nimium quæ terra gelu, quæque arceat æstum,*
*Immodicum. Caret ista lupis, caret anguibus illa,*

*Nulla*

*Nulla fame, nulla hanc potis est avertere pestem;*
*Omnibus incumbit labor in regionibus iste.*
*Cum stulto sapiens hac lege tenetur ubique,*
*Ut quærat vitæ quæ conductura tuendæ;*
*Nam nec sola hominem sapientia pascit inertem.*
*Quisque adhibere operi debet mentèmve manumve,*
*Aut utramque simul. Debet Rex ipse, nec ullus*
*Major in orbe labor, reliquis quàm ritè præesse,*
*Munere ritè illo, ac justo moderamine fungi.*
*Penduntur nobis quæcunque tributa, laboris*
*Hæc in mercedem nostri, pretiumque fatemur*
*Persolvi. A vobis sunt hæc stipendia, nósque*
*Illa, coronati famuli sub nomine Regum,*
*Captivâque ista sub majestate, meremus.*
*Muneris hinc nostri est vestræ invigilare saluti,*
*Non secus atque ovium merito qui vellere pastor*
*Vestitur, qui lac curarum in præmia potat,*
*Pro grege non dubitans vitæ discrimen adire,*
*Qua res cunque vocat, séque illi impendere promtus.*
*Pastores populorum hæc nos in jura vocamur,*
*Vivimus & similis sub conditione laboris.*
*Nilque juvat, reddenda Deo quòd denique soli*
*Muneris est nostri ratio; reddenda quòd uni,*
*Hoc satis, ut nostro summum de jure remittat,*
*Communi sorti nec nos parte eximat omni.*
*Constat & indictus quam sit labor omnibus, ipsa*
*Sacra ex historia, communi ad cuncta magistra.*
*Patres cum nostros in vasta urgeret eremo*
*Exitiosa fames, vacui jejunia ventris*
*Non Deus è cœlo dejecto pane, parato*
*Munere festinus voluit placare; per agros*
*Illis sed sparsit non absque labore legendum,*
*Tundendum, in panes formandum & manna coquen-*
*Ac cùm multa illis cœlo est delapsa coturnix, (dum.*
*Non pluit implumis, non assa, elixave, figi*

*Et quæ mox posset verubus, capienda sed ante,*
*Atque paranda fuit; donumque labore redemtum*
*Nonnullo, non ad segnes mera gratia fluxit.*
*Promulgata adeo lex competit omnibus ista,*
*Debeat ut cunctis aliquo sudore parari*
*Quamvis non simili, possit quo vita foveri.*
*Hoc discrimen inest, sumtu quod vita minori*
*Constabit sapienti, & quo contenta quiescet*
*Natura, hoc etiam sapiens in limite sistet:*
*At vero insanit stultorum ad cuncta cupido,*
*Vanaque sectando nescit finemve, modumve.*
*Nulla voluptatum saties, nulla implet honorum,*
*Nulla quiescit opum; Mens fræni ignara regendi*
*Indomitis raptatur equis, nec currus habenas*
*Audit, at in præceps nullo moderamine fertur.*

*Et quid pauper.* Supple, amplius habet à divite. Id est, quid pauper præstat diviti, æquè ac sapiens stulto.

*Nisi ut pergat illuc ubi est vita?* Heb. יודע להלך נגד החיים, supple כי אם, seu רק, ut suprà cap. 2. v. 24. Unde interpretatio Latina apud Hieronymum hæc sic reddit: *Nisi scire ut vadat contra vitam?* Sensus est, eodem Hieronymo autore, *Pauper nihil aliud quærit nisi ut possit organum corporis sui sustentare, nec interire inedia.* Id est, nihil plus appetit, quàm postulat vitæ hujus necessitas. *Paupertas est contenta desideriis instantibus satisfacere*, inquit Seneca Epist. 16. Sapiens similiter animum ita compositum habet, ne plus appetat quàm quod ad tolerandam vitam necessarium est, cùm stulti cupiditas sit gurges inexplebilis, quia ad mille vitas, quas falsâ imaginatione concipit, ipsius sollicitudo sese extendit. Hac stultitiâ ferè dives quisque laborat, ideóque insatiabiliter bonis accumulandis inhiat, & iniquis votis im-

immensa latifundia non secùs absorbet, quàm si alvum haberet dimidii mundi capacem.

9. *Melius est*, &c. Heb. טוב מראה עינים מהלך נפש, *bona visio oculorum præ ire animam.* Q. d. Satius est homini bonis adeptis, quæ ob ejus oculos sunt, frui, iisque unis contentum esse, quàm laxare habenas appetitui, ut vanis ac ridiculis affectationibus quod non est adeptus, & an adepturus sit ignorat, velut aves volantes, aut fugitiva Tantali poma, pervenetur. Huic sententiæ concinit illud Pindari in Isthm. Ode 8.

Τὸ δὲ πρὸ ποδὸς ἄρειον ἀεὶ χρῆμα πάντων.
*Omne quod præsens est, semper melius est.*

Non minùs, quàm egregium istud Gregorii Nazianzeni distichum:

Κρείσσων τροφὴ σύμμετρος εὐπορημένη,
Ἢ δεῖπνον ἄβρὸς, ὃν ξένιλασε τίς τε ὄναρ.
*Præstat cibi parabilis pauxillulum,*
*Quàm visa cœna delicata in somnio.*

*Sed & hoc.* Nempe bonis adeptis perfrui.

*Est vanitas.* Id est, hominem beare non potest.

*Et præsumtio spiritûs.* Heb. ורעות רוח, id est, Symmacho interprete, *& afflictio spiritus*, hoc est, & animum cruciatu afficit. Nam quò quis divitiis est affluentior, eò majori cruciatur metu ne à sceleribus aut potentioribus sibi eripiantur, aut incendio pereant; aut eas tandem deserere cogatur in morte, quæ *non divitiis redimi, non flecti precibus, non lachrymis molliri, non viribus unquam potuit superari*, ut loquitur B. Petrus Chrysologus Serm. 118.

10. *Qui futurus est.* Heb. מה שהיה, *quicquid fuerit.* Q. d. Cujuscunque statûs aut conditionis, sive dives, sive pauper, sive persapiens, sive insipi-

entissimus homo fuerit, sítve futurus, jam vel ex nomine ipsi convenienter indito ejusdem humilitas generis innotescit, atque liquidò patet ipsum esse *adam*, id est, hominem ex humo fictum, qui cùm sit Dei figmentum, frustrà cum fictore suo se infinitè fortiori de assignatâ sibi sorte contenderit. Euripides,

Οὔ τινά φήμι θεῶν ἄτερ ὄλβιον,
Οὐ βαρύποτμον ἄνδρα γενέσθαι,
Οὐδὲ τὸν αὐτὸν ἀεὶ βεβάναι δόμον
Εὐτυχία. παρὰ δ' ἄλλην γ' ἄλλα
Μοῖρα διώκει.
Τὸν μὲν ἀφ' ἰψηλῶν βρακὺν ᾤκισεν,
Τὸν δ' ἀλήταν εὐδαίμονα τεύχει.
Μόρσιμα δ' οὔτι φυγεῖν θέμις. οὐ σοφία τὸς ἀπώσεται.
Ἀλλὰ μάταν ὁ πρόθυμος ἀεὶ πόνον Ἕξει.

*Dis sine non ullus felix homo,*
*Dis sine rursus homo nullus miser.*
*Haud eadem semper floret domus.*
*Heu quis res hominum casus rotat!*
*Ut fortuna aliam subit altera:*
*Nunc aliquem celsis ex arcibus*
*Ad despecta trahens magalia:*
*Nunc miserum subitâ tollens ope.*
*Non arcere valet sapientia*
*Quod fatum voluit; nulla est fuga:*
*Quisquis enim contra luctabitur,*
*Irritus hunc fessum ludet labor.*

Siracides Ecclesiastici 11. v. 14. Ἀγαθὰ καὶ κάκα, ζωὴ καὶ θάνατος, πτωκεία καὶ πλοῦτος παρὰ κυρίου ἐστί. *Bona & mala, vita & mors, paupertas & divitiæ à Domino sunt.* In quem locum Vatablus, *Hæc sententia*, inquit, *nos monet ut consideremus quanta sit imbecillitas ho-*

*hominum, etiam in rebus corporalibus, in quibus nihil sine providentia Dei evenit.* Nihil in hujus universi amplissima Repub. geritur, quod non Dei nutu vel decernentis, vel permittentis administretur.

11. *Verba sunt plurima, multámque in disputando habentia vanitatem.* Heb. *Sunt enim verba multa multiplicantia vanitatem, quid amplius homini?* כי יש דברים הרבה מרבים הבל מה יותר לאדם. Q. d. Si quis enim multis verbis cum Deo de sorte sibi assignata contenderit, nihil illi vaniloqua hujusmodi obmurmuratio proderit, nisi ad augendam ipsius vanitatem, seu ad multiplicanda beatitudinis consequendæ obstacula.

## CAP. VII.

*Brevitatem vitæ humanæ ob oculos ponit: & veræ sapientiæ studium commendat.*

1. *Quid necesse est homini majora se quærere?* Hoc est, quid emolumenti consequetur homo si incomprehensibilia divinæ providentiæ consilia comprehendere tentaverit? Heb. *Quid amplius homini?* & est hemistichium versûs superioris.

*Cùm ignoret quid sibi conducat in vita sua.* Heb. כי מי יודע מה טוב לאדם בחיים, *Quis enim novit quid sit bonum homini in vita?* Q. d. Quomodo enim homo recondita divinæ providentiæ consilia comprehenderit, cùm ignoret quid sibi in hac vita, quæ instar umbræ citissimè dilabitur, maximè conducat: omninóque nesciat quid post dilapsam hanc vitam de se vel suis dicturi vel facturi sint posteri? Hunc ver-

ſum rectiùs verſio Anglicana, Mercerus, Druſius, & alii ad præcedens caput annectunt.

*Numero dierum peregrinationis ſuæ.* Heb. הבלו, *vanitatis ſuæ*, id eſt, vitæ ſuæ caducæ fluxæquè. Dies dicit non annos, ut vitæ hujus brevitatem vividiùs ob oculos ponat.

*Et tempore quod velut umbra præterit.* Heb. ויעשם כצל, *quos facit ſicut umbram*, id eſt, quos umbræ more fugaciſſimos tranſigit. *Facere dies*, pro *tranſigere dies* uſurpavit & Seneca in principio Epiſt. 66. *Quamvis pauciſſimos unà fecerimus dies.* Umbræ autem dies noſtros fugaciſſimos aſſimilat, quia nihil fugacius umbrâ, vel quod, nullo veſtigio relicto, citiùs tranſeat & evaneſcat.

2. *Melius*, &c. Variis paradoxis comprobare aggreditur Salomon, quod mox dixit, ignorare videlicet hominem quid in rem ſuam rectè conducat. Senſus autem hujus verſiculi eſt idem ac ſi dicat, Ut conſentiens laus bonorum ſuavior eſt pretioſiſſimorum unguentorum odoramentis, ſic æquis rerum æſtimatoribus jucundior eſt vitæ exitus, quàm introitus, quia naſcentes pericula & labores ſubimus, morientes illa relinquimus. *Tantis*, inquit Ambroſ. Serm. 40. *malis hæc vita repleta eſt, ut comparatione ejus, mors remedium putetur eſſe, non pœna: nam ideò brevem illam Deus fecit, ut moleſtiæ ejus, quæ proſperitate vinci, vel tolli non poterant, temporis exiguitate finirentur.* Hinc præclarè Valerius Maximus lib. 2. cap. 6. num. 12. *Thraciæ*, inquit, *natio merito ſibi ſapientiæ laudem vindicaverit, quæ natales hominum flebiliter; exequias cum laude celebrans, ſine ullis doctorum præceptis, verum conditionis noſtræ habitum pervidit.* Alexander ab Alexandro lib. 2. Genial. cap. 25. *Apud Thraces Trauſóſque, ac Ceſias & Cauſianes aſſuetum erat, ut, puero in lucem edito, circundati*

*cog-*

*cognati affinesque puerum lamententur, & afflicti jaceant, ac recensentes calamitates & vitæ incommoda, cui tantum restet malorum, quæ mox ille passurus advenit, pectora plangant. Iidem in funere exultantes jubilant, scilicet cui defuncto omnibus incommodis & infortuniis, quæ vita fert, ex hac luce & imminentibus malis atque omni sævitia fortunæ tandem excedere datum sit. Quod ab Indis quoque servari meminimus. Nam Gymnosophistæ & Brachmanes castè & piè viventibus mortis diem, natalem vitæ ducebant.* Cicero in Somnio Scipionis, *Ii vivunt, qui ex corporum vinculis, tanquam è carcere evolaverunt. ——— Nisi Deus is, cujus hoc templum est omne, quod conspicis, istis te corporis custodiis liberaverit, huc tibi aditus patere non potest. ——— Quare & tibi, Publi, & piis omnibus retinendus est animus in custodia corporis, nec injussu ejus, à quo ille est vobis datus, ex hominum vita migrandum est, ne munus humanum assignatum à Deo defugisse videamini.*

*Nomen bonum.* Cicero pro Archia, *Trahimur omnes laudis studio, & optimus quisque maxime gloriâ ducitur.* Idem pro Quinct. *Dum existimatio est integra, facile consolatur honestas egestatem.* Quod benè Plautus agnovit, dum in Mostel. Act. 1. Scen. 3. non minùs verè quàm lepidè dixit, *Ego, si bonam famam servasso, sat ero dives.* Quin & ipsa, ut advertit Cicero 1. Tuscul. *Mors tum æquissimo animo appetitur, cùm suis se laudibus vita occidens consolari potest.*

*Quam unguenta pretiosa.* Heb. משמן טוב, *quam oleum bonum.* Recreans membra olei liquor est materia apta suscipiendis odoribus, servandisque, unde omnia unguenta fiunt mixto olivo, ut Casaubonus observavit ad Persii Sat. 2. Hinc, ut ait Hieronymus, *moris est Hebræorum* unguentum *bonum oleum appellare.* Quanti verò veteres fecerint unguentum, patet

vel ex hac Plinii obſervatione 13 Nat. Hiſt. cap. 1. *Caſtris Darii Regis expugnatis, in reliquo ejus apparatu Alexander cepit ſcrinium unguentorum.* Hinc & Rex Ezechias 4 Reg. 20. v. 13. opulentiam oſtentans, unguenta quoque oſtentavit.

3. *Melius eſt ire*, &c. Egregiè hunc verſum illuſtrat clariſſimus Joannes Maury his elegantibus verſibus,

*—Potior ſit cura domos inviſere, luctu*
*Merſas funereo, quam, quæ convivia ludis*
*Ebria multibibis agitant, ſtrepitúque reſultant.*
*Ore ibi nos muto moderata docere cadaver*
*Sanaque multa poteſt; ſpolium breve labilis ævi*
*Ut nos Natura, & vacuum per inane vaporem*
*Surgentem effudit, nihilum jam jamque futuros.*
*Nos momenta vorant eadem, quæ paſcere viſa:*
*Junctaque cum vita mors greſſu incedit eodem.*
*Nec mage viventes, quam funera viva monemur*
*Hîc nos eſſe. Domûs ſunt hæc documenta gementis.*
*Aſt, in lætitiam & riſum quæcunque ſoluta eſt*
*Nos in mortalis damnoſa oblivia ſortis,*
*Inducit; curam avertit ſtudiumque futuri.*

*Finis cunctorum admonemur hominum.* Heb. כאשר הוא סוף כל האדם, *quoniam is eſt finis omnis hominis*, ſcilicet mors.

*Et vivens cogitat quid futurum ſit.* Heb. והחי יתן אל לבו, *& vivens indet animo ſuo*, mortis videlicet memoriam.

4. *Melior eſt ira riſu*, &c. Iræ nomine, metonymicè omnia quæ in cauſa ſunt ut iraſcamur; riſûs verò appellatione, vitam terrenis bonis affluentem intellige, ut ſenſus ſit, res adverſas rebus ſecundis & proſperis ideò eſſe utiliores, quia ubi rerum adverſitate concidit facies, melioreſcit animus. *Pr ſp-ritus*, inquit

inquit Bernardus lib. 2. de consid. cap. 12. *incautis est hoc ad disciplinam, quod ignis ad ceram, quod solis radius ad nivem vel glaciem. Sapiens David, sapiens Salomon fuit: sed blandientibus nimis secundis rebus, alter ex parte, alter ex toto desipuit. Magnus qui incidens in adversa, non excidit vel parùm à sapientia: nec minor, cui præsens felicitas si arrisit, non irrisit. Quanquam facilius invenerim, qui sapientiam retinuerunt contraria sibi fortunâ, quam qui propitia non perdiderunt.*

*Per tristitiam vultus.* Id est, dum vultus adversitate dejicitur.

*Corrigitur animus delinquentis.* Heb. יטב לב, *melioresset cor.* Thomas Kempisius Canonicus Augustinensis in libello aureo de imitando Christo, contemnendísque mundi vanitatibus utilitatem rerum adversarum sic exprimit lib. 1. cap. 12. Sebastiano Castellione interprete: *Calamitatibus & rebus adversis interdum premi nobis conducibile est, utpote quæ sæpè hominem in seipsum revocent, quo-se exulare sciat, nec in ullis humanis rebus spem suam collocet. Neque non illud è re nostra est, esse interdum qui de nobis maledicant, maléque & sinistrè de nobis sentiant, etiam si bonis moribus bonóque animo simus, nam hæc sæpe conducunt ad modestiam, & ab ambitione nos tuentur. Siquidem ita fit ut tanto magis interiorem testem Deum quæramus, quando foris contemnimur ab hominibus, nec nobis satis creditur. Itaque debet homo sic totus à Deo pendere, ut ei multas quærere consolationes non sit necesse. Quum enim bonæ voluntatis homo rebus adversis premitur & tentatur, aut malis cogitationibus angitur; tunc sibi tanto magis Dei opem necessariam esse intelligit, sine quo nihil boni se posse comperit. Tunc dolet, tunc gemit, tunc ut ab ea quam patitur miseria liberetur, orat, tunc eum diutius vivere tædet, mortemque optat, ut ex hac*

*vita*

*vita profectus, cum Christo degat. Tunc probe perspicit perfectam securitatem, plenamque pacem in hac vita constare non posse.*

5. *Cor sapientum*, &c. Q. d. Sapientes, cùm sciant non ideò adversa nobis immitti à Deo, ut nos pejores faciat, sed ut meliores, gaudent adversis, quibus quasi stimulis excitantur, ne alibi quàm in Deo solidam consolationem quærant; contrà verò stulti, cùm vanis & captiosis mundi illecebris indormiant, quicquid molestiæ subeundum est abhorrent, neque ullam agnoscunt gaudii materiam esse cuiquam, nisi rebus prosperis inebrietur, Epicureâ fruatur lætitiâ, & in carnis voluptatibus demergatur.

6. *Melius est à sapiente corripi*, &c. Hoc est, multò meliùs de homine meretur sapiens qui peccantem acriter increpat, quàm stulti illi, qui eundem blandè dilaudant.

*Quam stultorum adulatione decipi.* Heb. איש שמע שיר כסילים, *quam ut quis audiat*, seu, *præ viro audiente canticum stultorum.* Sic, uti observat clarissimus Drusius, *vocat blandas palponum voces, adulationesque parasitorum, quæ instar cantilenæ animum titillant, & alliciunt.*

7. *Quis*, &c. Q. d. Namque stultorum applausus adinstar crepitus spinarum sub olla ardentium celerrimè vanescit. *Spinæ*, inquit Ambros. exhort. ad Virg. *cum ardent, sonant, & cito exuruntur, ut nullus caloris sit effectus: sic est risus stultorum, qui sine gratia sonat, & ollam sui corporis urit.* Basilius Magnus in Regulis fusiùs disputatis docet hoc loco cachinnationem damnari. *Illud*, inquit Reg. 17. *quod à plerisque negligitur, non mediocriter caveri debet ab iis, qui colendæ pietati student, ne in risum videlicet præter modum effusi sint; quandoquidem non abesse à se intemperantiam, significat is, qui profuso nimis petulan-*

*lantique risu teneatur, seseque animi sui motus nequaquam sedatos, ejusque mollitiem, ac veluti laxitatem nequaquam ratione severa habere compressam declarat. Sed enim modice ridium diducere, eoque modo animi sui diffusionem leuiter significare, non est contra decorum, quatenus illud tantum indicetur quod scriptum est :* Cor gaudens exhilarat faciem. *Illud autem in immanes cachinnos prorumpere, & corpore contra animi voluntatem subsultare, nequaqnam est ejus qui animo composito sit, aut plane probo & compote sui ipsius.* Paulò post : *Hujusmodi risum etiam Ecclesiastes damnat, veluti rem animi constantiæ & gravitati maxime contrariam, sic dicens :* Risum reputavi errorem. *Et item :* Sicut sonitus spinarum ardentium sub olla, sic risus stulti.

8. *Calumnia.* Heb. כי העשק, *sane oppressio*, id est, Castellione interprete, *munera quæ dantur ut alicui fiat injuria.* כי pro *sane* sive *certe* frequens in Hagiographis & Prophetis occurrit.

*Conturbat sapientem.* Heb. יהולל חכם, *dementabit*, id est, dementare solet, *sapientem. Munera*, inquit Daniel Brenius, *quæ accipiuntur à judice juris sciente, ut alicui fiat injuria, mentem ei adimunt.*

*Et perdet robur cordis illius.* Heb. ויאבד את לב מתנה, *& perdet*, id est, perdere solet, *cor donum. Hoc*, ut advertit mox laudatus Brenius, *posterius membrum est explicatio prioris.* Exod. 23. v. 8. *Nec accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes, & subvertunt verba justorum.* Deut. 16. v. 19. *Munera excæcant oculos sapientum, & mutant verba justorum.* Ad quæ loca præclarè Calvinus, *Ergo si Dei judicio acquiescimus, nullum est tantum perspicaciæ lumen quod non suffocent munera, neque ulla tanta probitas, quam non labefactent : denique sanam mentem ante inficiunt quam manus contaminent. Ea intelligo, quæ eb rem judicandam quis accipit : neque enim de beneficiis nunc ha-*

*habetur ſermo, quibus ultro citroque inter ſe communicant homines.*

9. *Melior*, &c. Q. d. Ut præſtabilior eſt rei cujuſque perfectio ejuſdem inceptione, ſic vir patiens ac lentus præſtat viro, qui elatum ſpiritum habet; elatio quippe & ſuperbia nullius laboris aut doloris patiens rebus gerendis & ad bonum exitum perducendis inhabilem & ineptum hominem reddit.

*Orationis.* Heb. דבר, *verbi*, id eſt, cujuſvis rei, ſeu negotii.

10. *Ne ſis velox*, &c. Hoc eſt, ne ſis irritabilis, quia irritabilitas ſtultorum propria eſt, cùm ſapientes tardi ſint ad iram, *quam bene Ennius initium dixit inſaniæ*, ait Cicero 4. Tuſc. *Quidam itaque e ſapientibus*, inquit Seneca lib. 1. de ira cap. 1. *iram dixerunt brevem inſaniam; æque enim impotens ſui eſt, decoris oblita, neceſſitudinum immemor, in quod cœpit, pertinax & intenta, rationi conſiliiſque præcluſa, vanis agitata cauſis, ad diſpectum æqui verique inhabilis, ruinis ſimillima, quæ ſuper id quod oppreſſere, frangunter.*

11. *Ne dicas*, &c Q. d. Non eſt ſapientis de præſentibus diebus queri, quaſi ad vitam ſapienter inſtituendam prioribus ſint deteriores, cùm ipſi per veram ſapientiam omne ævum adminiculo eſſe poſſit ad incrementa virtutum & præmii. *Eſt*, ut advertit Tacitus, *vitium malignitatis humanæ, ut vetera ſemper in laude, præſentia ſint in faſtidio. & vetera antiquaque miremur, noſtrorum temporum ſtudia irrideamus atque contemnamus.* At gnarus & prudens rerum dicit de ſeipſo cum Plinio Juniore lib. 6. epiſt. 21. *Sum ex iis, qui mirer antiquos, non tamen, ut quidam, temporum noſtrorum ingenia deſpicio; neque enim quaſi laſſa & effeta natura, ut nihil jam laudabile pariat.* Per eleganter hunc noſtrum verſiculum hac metricâ pa-

ra-

raphrasi illustravit Joannes Maury Doctor Theologus,

*Non solùm hæc vulgi versatur in ore querela,*
*Ast etiam procerum, quos & sapientia quædam*
*Commendat, Mundum glisciente senescere labe,*
*Cunctaque in occasum decursu tendere prono :*
*Ubere non solito terræ generascere fœtus,*
*Primigenum plantis, non jam superesse vigorem,*
*Non seclis animantum ipsis ; hominique animantum*
*Rectori, non ætatem, non corporis esse*
*Molem, habitumque parem, jamque hæc decrescere*
*Deteri ex ipso quid cœlo, ac denique totam (dudum,*
*Rerum naturam vitiante labascere fluxu.*
*Præcipue virtutem ipsam vilescere ; jacta*
*Ejus quæ fuerant sterilescere semina sensim ;*
*Elanguere hominis tendentis ad ultima vires,*
*Exemplisque malis, quorum nos publicus urget*
*Impetus, impulsas magis ac magis undique frangi.*
*Non satis attenta jactas qui talia mente*
*Define vana queri, stultamque jrvantia plebem.*
*Explosus dudum iste error ; vel temporis acti*
*Decipit ignarum tantùm, aut illius haberi*
*Qui velit ignarus. Vetus est & trita querela,*
*Rustica quam tantum jam non fastidiat auris.*
*Nil antiquavit, nil & Natura novavit*
*Interdicta ex quo primi loca conscia lapsus,*
*Deviaque à pura contraxit origine sordes.*
*Aurea quæ vanis revocantur secula votis*
*Nulla fuere unquam, nec prægnans frugibus almis*
*Sponte fuit tellus, nec mella fluentia rivis.*
*Illimis semper fluxit nec rivulus unquam ;*
*Innubis semper nec sol ex æthere fulsit.*
*Servavere vices illibato ordine cuncta,*
*Ut nunc servantur, connexaque turbida claris ;*
*Et læti fulsere dies, atrique secuti ;*

*Atros*

*Atros & pariter læti excepere viciſſim;*
*Moribus inque hominum major conſtantia nunquam.*
*Communis morum ille fuit mera fabula candor;*
*Fabula, cana fides, omni quæ in pectore dicta*
*Tunc ſedem fixiſſe tenax, & neſcia flecti.*
*Convenit tempus virtuti, ut convenit, omne,*
*Conveniique locus. Vitiis quoque quælibet ætas*
*Eſt infecta ſuis, tranſmiſit & illa futuris.*
*Namque hominum generatim eadem natura, ſequaxque*
*Eſt producta lues primorum à labe parentum.*
*Tempora ſic poſſunt in crimen nulla vocari,*
*Soli ſed mores. Rebus bene cuilibet uti*
*Jam licet, & licuit; placuit quoque ſemper abuti,*
*Et mala juncta bonis tulit ætas cuncta ferètque.*
*Ne venerans antiqua igitur præſentia damnes,*
*Aut injuſto habeas odio, carpaſque malignus,*
*Moroſus, cenſor temerarius, invidus, aſper,*
*Ut ſolet in ſenibus præſertim, ævique caduci,*
*Utendi quos lætitia præſente facultas*
*Deſerit, & memori ſugitivam mente requirunt.*

12. *Utilior eſt ſapientia cum divitiis.* Heb. טובה חכמה עם נחלה, *bona ſapientia cum hereditate.* Id eſt, potiſſima eſt conditio ejus, cui adeſt ſapientia non deſtituta rerum proprietate.

*Et magis proſunt videntibus ſolem.* Heb. ויתר לראי השמש, *& excellentia ſolem cernentibus*, q. d. Et hæc eſt ſumma felicitas, quæ mortalibus in hac vita obtingere poteſt.

13. *Sicut*, &c. Q. d. Namque ſub ſole degentes ut ſapientiæ ſic & pecuniæ umbrâ innumeris ab incommodis protegimur, & utriuſque præſidio ad vitam tolerandam indigemus, quamvis pecuniâ longè præſtabilior ſit ſcientia, quæ ex ſapientia conſequitur; hæc quippe ſcientia vitam tribuit poſſeſſoribus ſuis,

ſuis, id eſt, ipsâ præditos à periculis eximit, quæ pecunia accerſit.

*Hoc autem plus habent eruditio & ſapientia.* יותרון דעת החכמה, *ſed excellentior cognitio ſapientiæ*, ſeu, ut alii reddunt, *Et præſtantia ſcientiæ ſapientiæ.*

*Quòd vitam tribuunt poſſeſſori ſuo.* תחיה בעליה, *vivificabit habentes ipſam*, id eſt, ipsâ imbutos, ſeu præditos.

14. *Conſidera*, &c. Q. d. Neque tamen ineſt ipſi hominum ſapientiæ vis quædam remedialis & efficax adverſus omnia omninò hujus vitæ incommoda; ſi enim animo circunſpicias Dei opera, deprehendes inſuperabilem ipſius omnipotentiam, quæ ſiqua inflixerit mala, fruſtrà ad ea amolienda curam & diligentiam adhibueris.

*Quem ille deſpexerit.* Heb. את אשר עותו, *quod*, vel *quem ille depravaverit*, id eſt, diſtorſione vel ærumnis deformaverit. עותו pro עות הוא, uti Glaſſius lib. 3. Grammaticæ ſacræ tract. 2. obſervavit.

15. *In die*, &c. Q. d. Utere oblatâ proſperitate, & perpeſſu difficile ſiquid ingruerit tolera. Voluit enim Deus proſpera & adverſa ſibi invicem quadam viciſſitudine ſuccedere, ut homo præter ipſum Deum nihil ſtabile inveniat, cui plenè confidere poſſit, ideóque ſit in omnem eventum paratus.

*Et malam diem præcave.* Heb. וביום רעה ראה, *& in die mala vide*, id eſt, cave ne mala cœlitùs immiſſa impatienter feras.

*Contra eum juſtas querimonias.* Heb. אחריו מאומה, *poſt ipſum quicquam*; ſupple, certum, firmum, atque inconcuſſum, in quod ſpem fiduciámve ſuam homo defigat. Alii ſupplent cum vulgato interprete, De quo jure queri poſſit, quod ipſum ad deſperationem vel ſuperbiam adegerit. Præclarè pro more Joannes Maury Doctor Theologus,

*Sic*

*Sic vita in noſtra ſuccedunt triſtia lætis,*
*Læta alternatim pariter ſe triſtibus addunt.*
*Excipiunt laudes & juncta calumnia ſeſe;*
*Ac mutant adverſa vices & proſpera, triſtis*
*Ne deſperet homo, lætuſve ſuperbiat idem.*

16. *Hoc quoque*, &c. Heb. את הכל, *cum omnibus.* Q. d. Inter cetera, quæ in fragili & evanida vita mea ſum expertus, deprehendi eum, ut mox laudatus Maury loquitur,

*Qui pietatis amans, recti qui cultor, & æqui,*
*Religio cordi cui ſit, divinaque juſſa,*
*Morte perire cita, ſubitæque occurrere metu,*
*Tramite duro etiam, ſpinis quique aſper acutis;*
*At pravum, perque omne nefas ſine lege ruentem,*
*Blande, & inoffenſo ferri pede, molle, roſiſque*
*Subſtratum per iter, tractuque incedere longo.*
*Sic ereptus Abel primævæ in flore juventæ;*
*At, qui ſe illius reſperſit ſanguine frater*
*Produxit longam prope ſeptem ad ſecula vitam.*
*Sic erepti alii vitæ ſine crimine multi,*
*Multi vitam alii ſic produxere nocentem.*

17. *Noli*, &c. Q. d. Ne divinâ ampliorem affectans juſtitiam aut ſapientiam, ipſum Deum injuſtitiæ aut inſipientiæ inſimules, dum ſinit bonos malè in hac vita tractari, malos verò benè; hebetatur enim ingenium hominis & veluti acies impacta ferro retunditur, cùm adverſus incomprehenſibilem Dei agendi rationem, vel gubernationis ordinem obmurmurat, obſtrepítque arcanis ipſius conſiliis, quorum altitudo & profunditas percontando attingi nequit.

*Ne obſtupeſcas.* Heb. למה תשומם, *utquid deſolaberis?* Id eſt, nihil eâ temeritate & audaciâ proficies, niſi ut teipſum conficias.

18. *Ne*

18. *Ne impiè agas multùm*, &c. Id est, Daniele Brenio interprete, *Ne sis callidè nocens, aut stultè innocens; nam si in hanc aut illam partem declines, in exitium te præcipitabis, & ante justum ævi tempus morieris.* Calliditas nisi temperetur simplicitate nocituram in versutiam degenerat, & simplicitas sine calliditate nihil quicquam est, quàm stulta innocentia, & fatuitas, omnium insidiis obnoxia. Isidorus Pelusiota lib. 3. Epist. 175. Ἡ φρόνησις τῇ ἁπλότητι κιρνωμένη θεῖον τὶ χρῆμα. φημὶ δὲ ἐντελεστάτην ἀρετὴν ἀποτελεῖ· εἰ δὲ θατέρα θατέρας χωρισθείη, ἡ μὲν εἰς πονηρίαν ἐμπίπτει, ἡ δὲ εἰς μωρίαν τελευτᾷ. *Prudentia simplicitate temperata divinam quandam*, hoc est, numeris omnibus absolutam, *virtutem parit. At si altera ab altera sejungatur, illa in perversitatem incidit, hæc verò in stultitiam desinit.* Faustus Rhegiensis lib. 2. de libero arbitrio cap. ultimo, *Faciamus*, inquit, *hominem simplicem, faciamus astutum: simplicem, ne malum callidus inferat, astutum ne incautus incurrat.* Videsis plura de hoc argumento in explicatione nostra litterali ad Mat. 10. v. 16. & ad Cant. 5 v 1.

19. *Bonum est te sustentare justum.* Heb. טוב אשר תאחוז בזה, *bonum est ut apprehendas hoc.* Id est, bonum est ut simplicitati naves operam.

*Sed & ab illo.* Scilicet, calliditatis studio

*Ne subtrahas manum tuam.* Heb. אל תנח את ידך, *ne quiescere facias manum tuam.* Hoc est, ne desistas.

*Quia qui timet Deum nihil negligit.* Heb. יצא את כלם, *egreditur cum omnibus his.* Q. d. Naviter cum serpentis calliditate columbæ simplicitatem conjunget, ut una suppleat quod deest in altera, aut corrigat quod excedit. Hanc nostram hujus versiculi interpretationem his verbis efferunt quidam Hebræi apud Isidorum Clarium, *Bonum est accipere partem sapientiæ & stultitiæ, quia qui timet Dominum, utitur utrâque re utiliter.*

20. *Sapientia*, &c. Q. d. Sapientiæ vis ac robur superat id quo valent plurimi urbis præfecti in rebus administrandis, vel hostibus subjugandis, suíque sectatores ad omnia intrepidos reddit; principes enim qui in urbe munitissima sunt, expugnari tandem possunt: sapientia non potest, ne à principibus quidem & mundi rectoribus. Monet Salomon hac sententiâ res magnas non tam geri corporis viribus, quàm consilio, prudentiâ, autoritate, ut ipsemet docet infrà cap. 9. v. 18. *Melior est sapientia, quàm arma bellica.* Et Prov. 24. v. 5. *Vir sapiens, fortis est: & vir doctus, robustus & validus.* Autor quoque libri Sapientiæ cap. 6. v. 1. *Melior est sapientia, quàm vires: & vir prudens quàm fortis.*

*Super decem principes.* Id est, plurimos, phrasi Hebræis familiari, quâ *decem* pro *multis* passim usurpant. Sic Gen. 31. v. 7. *Mutavit mercedem meam decem vicibus.* Levit. 26. v. 26. *Decem mulieres in uno clibano coquant panes.* Num. 14. v. 22. *Tentaverunt me jam per decem vices.* 1 Sam. seu Reg. 1. v. 8. *Nunquid non ego melior tibi sum quàm decem filii?* Nehem. 4. v. 12. *Dicentibus nobis per decem vices.* Job 19. v. 3. *Decies confunditis me.* Zach. 8. v. 23. *Apprehendent decem homines*, &c.

21. *Non est enim justus*, &c. Hebræum כי, quod verti solet *enim*, hic positum est pro *attamen*, uti ante nos observavit omnigenarum literarum peritissimus Grotius. Sensus itaque præsentis versiculi est idem ac si dicat, Attamen nemo in terris tam sapienter vitam instituit, ut semper rectè agat, nihílque peccet. Philo Judæus libro *quod Deus sit immutabilis*, Ἐι γὰρ βουληθείη ὁ Θεὸς δικάσαι τῷ θνητῷ χωρὶς ἐλέου, τὴν κατδικάζουσαν ψῆφον οἴσει, μηδενὸς ἀνθρώπων τὸν ἀπὸ γενέσεως μέχρι τελευτῆς βίον ἄπταιστον ἐξ ἑαυτοῦ δραμόντος, ἀλλὰ τοῦ μὲν ἑκουσίοις, τοῦ δὲ ἀκουσίοις χρησαμένου τοῖς ἐν

ἐν ποσὶν ὀλισθήμασι. *Si enim Deus vellet de mortali genere judicare ſine miſericordia, certè damnantem ferret ſententiam, cùm nemo ſit hominum qui ab ortu ad finem vitam ſine lapſu per ſe decurrerit, ſed partim voluntarias, partim non voluntarias paſſus ſit lapſationes.* Hinc *væ etiam laudabili vitæ hominum*, ut Aug. loquitur 9 Confeſſ. 13. *ſi remotâ miſericordia* Deus diſcutiat *eam.*

22. *Sed & cunctis*, &c. Q. d. Itaque cùm nec tu eſſe ſine delicto poſſis, quamdiu indumento carnis oneratus es, ſiqui malè de te dixerint, id tu ægrè ferre noli; alioqui ſi maledictis facilè moveariſ, eorumdem jaculis etiam à proprio ſervo interdum appeteris. Seneca lib. 3. de ira cap. 24. Auguſti & Philippi Macedonis exemplo ſic infert contumelias haud magni pendendas aureâ planè ſententiâ: *Dicat itaque*, inquit, *quiſque ſibi, quoties laceſſitur: Nunquid potentior ſum Philippo? Illi tamen impunè maledictum eſt. Nunquid in domo meâ plus poſſum, quàm toto orbe terrarum divus Auguſtus potuit? Ille tamen contentus fuit, à conviciatore ſuo ſecedere. Quid eſt quare ego ſervi mei hilarius reſponſum, & contumaciorem vultum, & non pervenientem uſque ad me murmurationem, flagellis & compedibus expiem? Quis ſum, cujus aures læsi nefas ſit? Ignoverunt multi hoſtibus: ego non ignoſcam pigris, negligentibus, garrulis? Puerum ætas excuſet, feminam ſexus, extraneum libertas, domeſticum familiaritas. Nunc primùm offendit? Cogitemus quamdiu placuerit. Sæpè & aliàs offendit? Feramus quod diu tulimus. Amicus eſt? Fecit quod noluit. Inimicus eſt? Fecit quod debuit. Prudentiori cedamus: ſtultitiori remittamus. Pro quocunque, illud reſpondeamus nobis, ſapientiſſimos quoque viros multa delinquere: neminem eſſe tam circumſpectum, cujus non diligentia aliquando ſibi ipſi excidat: nemineſ tam mansuetum,*

*cujus non gravitatem in aliquod fervidius factum casus impingat : neminem tam timidum offensarum, qui non in illas, dum vitat, incidat.*

23. *Scit*, &c. Q. d. Cur verò maledicta animum tuum commoveant, cùm tute tibi conscius sis te quoque aliis maledixisse. Seneca lib. 2. de ira cap. 28. *Faciet nos moderatiores respectus nostri, si consulerimus nos : Nunquid & ipsi aliquid tale commisimus? Nunquid sic erravimus? Expeditne nobis ista damnari?* Similia habet idem lib. 1. de ira cap. 14. & lib. 1. de clementia cap. 6.

24. *Cuncta tentavi*, &c. Hoc est, Sapientiæ ope quicquid modò præcipio præstare tentavi, eâque de causa ipsam sapientiam sum consectatus, quam perdifficiliter assequar.

*Et ipsa longiùs recessit à me.* Heb. והיא רחוקה ממני, *& ipsa longinqua à me.* Id est, Perdifficilis est mihi sapientiæ acquisitio.

25. *Multò magis quàm erat.* Heb. רחוק מה שהיה, *longinquum quod fuit.* Id est, Præterita usque adeò à nobis remota sunt, ut ea memoria consequi vix possimus.

*Et alta profunditas quis inveniet eam.* Heb. ועמק עמק מי ימצאנו, *& profundum profundum quis inveniet?* Q. d. Et quis quod futurum est in profundo demersum conjecturâ assequatur? Totius hujus versiculi sensum sic exprimit Grotius : *Præteritorum magna est oblivio, de futuris conjecturæ incertæ. Hæc difficilem faciunt sapientiæ adeptionem.*

26. *Lustravi*, &c. Q. d. Cùm ego animum meum versarem in investigando sapientiam, & cujusque rei rationem seu causam, etiam eorum, quæ per impiam stultitiam, imprudentémque errorem fiunt.

27. *Et inveni*, &c. Q. d. Deprehendi fœminam procacem ipsâ morte esse nocentiorem, utpote quæ aliud

aliud nihil cogitat quàm ut irretiat & illaqueet viros & veluti in carcerem trahat. Hac decipulâ capitur quiſquis peccatis eſt mancipatus, at qui ſincerâ & pietate minimè ſimulatâ præditus eſt, effugiet illam.

28. *Ecce hoc inveni*, ראה זה מצאתי, *vide*, *hoc inveni.* Q. d. Nota benè me id quod ſequitur de utriuſque ſexûs comparatione deprehendiſſe.

*Dixit Eccleſiaſtes.* Heb. אמרה קהלת. Vide quæ adnotavimus ſupra cap. 1. v. 2.

*Unum & alterum.* Heb. אחת לאחת, *unum ad unum*, ſeu *alterum.* Id eſt, ſingula accurato examine perpendens, & unum ex altero colligens.

*Ut invenirem rationem.* Hoc eſt, Ut rerum cauſas cognoſcerem.

29. *Quam adhuc quærit anima mea, & non inveni.* Q. d. Neque tamen hanc cognitionem impenſo labore hucuſque à me quæſitam ſum aſſecutus.

*Virum* &c. Q. d. Deprehendi, inquam, longè difficiliùs reperiri mulierem, quæ virilem fortitudinem & conſtantiam præ ſe ferat, quàm virum cordatum, & viri nomine dignum, etſi vix unum inter mille invenias, qui ſit benè moratus, & ſuæ conditionis memor, ſeſe virum præſtet. *Salomon*, inquit Hieronymus lib. 2. in Mich. 7. *in Eccleſiaſte*, Et hominem, *ait*, unum de mille inveni, & mulierem in his omnibus non inveni: *forſan ſuo doctus exemplo monet mulieribus non credendum, per quas offenderat Deum.*

*Ex omnibus.* Heb. בכל אלה, *in omnibus iſtis.* Id eſt, Grotio interprete, *In mille mulieribus quas mihi adſcivi nullam inveni ſincerè probam.* Sed malim certum numerum poſitum pro incerto, uti Scripturæ & vulgò moris eſt, atque hyperbolicâ *unius* & *nullius* ad *mille* comparatione raritatem virtutis & conſtantiæ virilis notatam in utroque ſexu, ſed in ſequiori longè majorem.

30. *Solummodò hoc inveni.* Heb. לבד ראה זה מצאתי, *tantùm vide, hoc inveni.* Q. d. Interim hoc unum mihi de hac re exploratum obſerves velim, ne invidiâ ullâ, culpáve Dei putes tam exiguum in utroque ſexu eſſe numerum cordatè ac laudabiliter viventium.

*Quod fecerit Deus hominem rectum.* Hoc eſt, quòd Deus hominem creans, utrumque ſexum recti cognitione & amore donaverit.

*Et ipſe infinitis ſe miſcuerit quæſtionibus.* Heb. והמה בקשו חשבנות רבים, *ipſi vero quæſiverunt ratiocinia multa.* Q. d. At protoparentes ambiguis & fallacibus diaboli pollicitationibus illecti, converterunt ingenium ſuum ad ratiocinationes à recto alienas excogitandas, & quærendos colores, quibus ſibi perſuaderent, non eſſe ita grave, Dei mandatum tranſgredi, quo potiorem eâ, quam jam habebant, cum Deo ſimilitudinem apiſcerentur. Itaque diſceſſus à claro Dei præcepto, & verbo, atque ad prava ac perverſa ratiocinia deflexio eſt cauſa univerſalis & origo errorum omnium in intellectu atque vitiorum in voluntate.

*Quis talis ut ſapiens?* Id eſt, quis cum ſapiente conferendus? Rectiùs hæc & ſequens quæſtio ad caput ſequens refertur in Bibliis Hebraïs, & in Vulgata editione Lugdunenſi apud Joannem Frellonium anni 1567.

*Et quis cognoverit ſolutionem verbi? Verbum* hîc ut & alibi paſſim ſumitur pro *re*, & qui mox dictus eſt *ſapiens*, nunc dicitur *cognoſcens ſolutionem verbi*, atque ita hæc præſens quæſtio eſt præcedentis repetitio aliis verbis, q. d. Quis conferendus cum eo qui noverit ſolutionem cujuſque rei propoſitæ quamlibet obſcuræ & ambiguæ? פשר *pro ſolvere eſt vox Syris & Chaldæis familiaris. Vide Dan.* 5. *v.* 12. *&* 16. *Uſurpant & Arabes*, inquit Grotius.

CAP.

## CAP. VIII.

### *Insignia quædam sapientiæ præcepta tradit.*

1. *SApientia hominis lucet in vultu ejus.* Heb. תאיר פניו, *lucere faciet faciem ejus.* Hoc est, Sapientia hominis, sicut animo ejus tranquillam fiduciam, ita vultui serenitatem addit, omnem ab eo sollicitudinis tristitiæque nebulam dispellens. Hujus rei exemplum prælustre nobis exhibetur in Stephano Protomartyre Act. 6. v. 15.

*Et potentissimus faciem illius commutabit.* Heb. ועוז פניו ישנא, *& robur faciei ejus mutabitur.* Id est, Animo fortitudinem & corpori robur addit, quæ vultu sese produnt, ut videre est 1 Sam. seu Reg. 14. v. 28. & 30. Vide & Prov. 16. v. 15. & 17. v. 24. Glassius in Rhetorica sacra tract. 1. cap. 1. ישנא hîc reddit *duplicatur*, ut sensus hujus versiculi sit, *Sapientia hominem ita illustrem, hilarem, & beatum efficit, ut indies augescat, & confirmetur, adeóque ad imaginem Dei transformetur à gloria in gloriam, tanquam à Domini spiritu, ut 2 Cor. 3. v. 18. Paulus loquitur.* Quia verò Hebraico dicendi genere *robur, fortitudo*, seu *durities faciei* dicitur impudentia, multi hîc reddunt ex Hebræo, *Impudentia faciei ejus mutabitur*, quia scilicet, ut præclarè Munsterus, *Ubi sapientia animum possederit, impudentia recedit à fronte. Est enim sapientia pudica & verecunda Jac. 3. Insipientia vero est impudens, procax, trux, minax*, &c. Alius vertit, *Crudelitatem pellit*; nam את צנועים חכמה, *apud mansuetos sapientia.* Lxx. vertere: ἀναιδὴς προσώπῳ αὐτοῦ μισηθήσεται. *Impudens facie suâ odietur.*

Facies una pars eſt corporis, quæ, ut ait Tullius 3. de Orat. *quot animi motus ſunt, tot ſignificationes & commutationes poſſit efficere.* Unde B. Ambroſius lib. de Elia cap. 10. *Vultus*, inquit, *quidam cogitationis arbiter, & tacitus cordis interpres. Facies index plerunque eſt conſcientiæ, & tacitus ſermo mentis.* Et vulgatus ille verſus apud Hugonem Marenſem ex quodam Martiale Coquo:

*Eſt ſpeculum mentis facies, oculique revelant*
*Quales ſint intùs mens, animúſque viri.*

2. *Ego os Regis obſervo.* אני פי מלך שמר, *ego, os Regis obſerva.* Q. d. Ego Rex te moneo ut obſerves mandatum ex ore Regis prodiens.

*Et præcepta juramenti Dei.* Heb. ועל דברת שבעת אלהים, *& ob cauſam juramenti Dei.* Q. d. Idque propter Deum, cujus jurato & invocato nomine, tu te Regi obſtrinxiſti.

3. *Ne feſtines recedere à facie ejus.* Id eſt, Ne temerè ab ejus obſequio te ſubducas.

*Neque permaneas in opere malo.* Q. d. Aut ſi te ſubduxeris, ne perſiſtas in rebellione in Regem, quâ tu in te malum accerſeres.

*Quia omne quod voluerit faciet.* Q. d. Eſt enim penes Regem de te ſtatuere quomodocunque libuerit.

4. *Et ſermo illius poteſtate plenus eſt.* Heb. באשר דבר מלך שלטון, *ubi verbum Regis eſt, ibi poteſtas.* Id eſt, Quicquid Rex facit, pro imperio id facit.

*Ne dicere*, &c. Q. d. Et nemo poteſt à Rege rationem facti exigere, cùm ejus poteſtas ſumma ſit ſecundum Deum.

5. *Qui cuſtodit præceptum.* Id eſt, Qui Regi obſequitur in omnibus.

*Non experietur quicquam mali.* Id eſt, Nihil ſtatutæ

tutæ refractariis pœnæ ſuſtinebit. Q. d. *Non honeſtiſſimum modò, ſed & tutiſſimum eſt ſequi edicta & dicta Regum.* Grotius.

*Tempus & reſponſionem.* ועת ומשפט, *& tempus & judicium*, id eſt, & articulum temporis & modum, quo ſcilicet Regum juſſa ſint capeſſenda, vel quo Reges ſui officii ſint commonendi. *Siquid*, inquit Grotius, *in Rege corrigendum, id quomodo, & quando fieri debeat norunt ſoli ſapientes, qualis erat Nathan.*

*Cor ſapientis.* Id eſt, ſapiens. Talis eſt iſta Ennii locutio,

——*Quem credidit eſſe meum cor.*

*6. Omni negotio tempus eſt & opportunitas.* Heb. כי לכל חפץ יש עת ומשפט, *nam omni voluntati eſt tempus & judicium.* Q. d Eſt enim ſua cuique rei quam deſideres tempeſtivitas, ſuáque ratio, quâ fieri debet.

*Et multa hominis afflictio.* Heb. כי רעת האדם רבה עליו, *quia malum hominis multum ſuper eum.* Id eſt, quia homo non ſemper obſervat tempeſtivitatem & rationem quâ res quæque fieri debeat, compluribus incommodis eſt obnoxius. Aliis כי hîc eſt pro *ſed*, ut ſenſus ſit, at multum homo laboret opus eſt, ut cujuſque rei tempeſtivitas & ratio, quâ fieri debeat, ipſi comperta fiat. Lxx. pro רעת legerunt דעת.

7. *Quia ignorat præterita.* Heb. מה שיהיה, *quid ſit futurum.* Id eſt, Daniele Brenio interprete, *Qui negotii gerendi tempus & opportunitatem tranſire ſinit, neſcit an poſtea eam recuperaturus ſit, quippe futuri incertus. Nam fronte capillata, poſthæc occaſio calva eſt.* Secundum alios verò ratio hîc redditur cur cujuſque rei opportunitas & ratio adeò ſit inventu difficilis, q. d. Ignoratio rerum maximè futurarum efficit ut homo de tempore & ratione cujuſque rei agendæ vix

ſtatuere poſſit. Vulgatus interpres שיחיה ſumſit hîc in ſignificatione præteriti: *Ut*, inquit Grotius, *ſæpe tempora apud Hebræos commutantur, præſertim poſt particulas quaſdam.*

8. *Non eſt*, &c. Q. d. Non magis poteſt rebellio rebelles tutari, quàm homo ventis imperare, mortem eluctari, aut inter belli procellas quieſcere.

*Nec ſinitur quieſcere ingruente bello.* Heb. ואין משלחת במלחמה, *nec dimiſſio in prælio.* Id eſt, Non poteſt quis vitare quin arma induat, cùm prælio laceſſitur.

*Impietas.* Heb. רשע, quæ vox cùm varias habeat ſignificationes, *hîc*, inquit Grotius, *rebellionem ſignificat: eam negat vel victoribus impunitam fore.*

9. *Omnia*, &c. Q. d. Ubi hæc omnia & cetera quæ ſub ſole fiunt penitiùs inſpexi, adverti ex quo hominibus aliis in alios divinitùs conceſſum eſt imperium, ejuſdem abuſum malè ceſſiſſe utriſque. Præclarè itaque Chriſtianus Matthias in ſuo præſtantiſſimo theatro hiſtorico pag. 15. *Aliud eſt poteſtas, & aliud eſt abuſus poteſtatis. Ipſa poteſtas eſt à Deo, & initium à Dei ordinatione cepit. Deus namque poſt diluvium Magiſtratum inſtituit, Gen. 9. v. 5. Formula inſtitutionis hæc eſt:* Qui ſanguinem hominis fuderit, ejus ſanguis per hominem (*ſcilicet, divinitùs ad hoc vocatum & ordinatum, hoc eſt, Magiſtratum*) effundetur. *Sed initium tyrannidis, quæ eſt abuſus poteſtatis, eſt à Nimrodo atque diabolo.* Idem ibidem pag. 16. *Aliud eſt ipſa poteſtas, aliud eſt poteſtatis acquiſitio & uſurpatio. Ipſa poteſtas ſemper eſt à Deo: quoniam non eſt poteſtas niſi à Deo, hoc eſt, omnis poteſtas eſt à Deo, Rom. 13. v. 1. ſed poteſtatis acquiſitio & uſurpatio illegitima eſt tyrannis, quæ eſt ulcus poteſtatis, non poteſtas. Et hæc non eſt à Deo. Tyrannis rurſus duplicitèr conſideratur. Primo quatenùs eſt malum culpæ:*

deinde

*deinde quatenus eſt malum pœnæ. Quatenus eſt malum culpæ, ſic non eſt à Deo. Deus enim non vult malum. Pſal. 5. v. 4. Quin potius Deus Tyrannos eorumque tyrannidem odit. Sap. 4. v. 9.* Similiter odio ſunt Deo impius & impietas ejus. *Et tandem utrumque punit, uti oſtendit exemplum Pharaonis Exod. 14. v. 18. Jeroboami, 1 Reg. 13. v. 34. Herodis utriuſque Mat. 2. v. 19. Act. 12. v. 23. Cujus autem Deus eſt ultor, ejus non eſt autor, ſicut pulchre Fulgentius ait. Quatenus vero tyrannis eſt malum pœnæ, ſic omnino eſt à Deo, non tanquam autore, ſed irato judice, quia univerſalis eſt regula Prophetica Amos 3. v. 6. Non eſt malum in civitate, quod non fecerit Dominus. Deus namque ſubditorum impietate & ingratitudine ad iram provocatus, Tyrannis imperium in eos concedit, ut pœnas luant, qui piis Magiſtratibus parere noluerunt. Ita Hoſeæ 13. v. 11. Deus inquit:* Dedi tibi Regem in furore meo. *Ita etiam regni Iſraëlitici laceratio, & poteſtatis tranſlatio à Roboamo ad Jeroboamum, fuit à Deo tanquam juſto judice, peccata Salomonis & Roboami vindicante. Hinc legimus 1 Reg. 12. v. 24. quod Deus prohibuerit Roboamo Regi Juda, cum decem tribus ab eo defeceranr, ne adſcenderet, atque bellum contra fratres filios Iſraël gereret. Addit hanc rationem:* A me enim factum eſt verbum hoc. *Hoc eſt, Ego volui (voluntate conſequente vel judicii) ut decem illæ tribus ab Imperio poſteritatis Salomonis avellerentur. Confer 1 Reg. 14. v. 7. & 8. Ipſa vero ſeditio & rebellio Jeroboami, quatenus malum culpæ fuit, non erat a Deo, ſed a diabolo, & Jeroboamo ſuperbo. Ideóque etiam Deus illum graviter punivit, 1 Reg. 13. v. 34. & 14. v. 10.*

*Interdum.* Heb. עת אשר, *tempus quo.* Alii vertunt, *Tempus eſt cum*, id eſt, interdum, aliquando.

*In malum ſuum.* Id eſt, malè cedit utrique, ſcilicet dominanti, & ſubdito; quia nimirùm dominator

tor potestate divinitùs acceptâ abutens subditum tyrannicè vexat, exitus autem Tyranni ferè tragicus est juxta illud Juvenalis,

*Ad generum Cereris sine cæde & sanguine pauci*
*Descendunt Reges, & siccâ morte Tyranni.*

10. *Vidi impios sepultos.* Heb. וּבֵכֵן רְאִיתִי רְשָׁעִים קְבוּרִים, *& tunc vidi impios sepultos*, id est, oblivioni velut sepulchro traditos.

*Qui etiam cum adhuc viverent.* Heb. וּבָאוּ, *& venerunt*, scilicet, in gloriam summam. Q. d. Vidi impios, quorum memoria quasi sepulta erat, in altissimo, amplissimóque gradu dignitatis locatos famâ splendidâ refulgere. Grotius Vulgatam editionem sequens, Hebræum וּבָאוּ reddit, *Qui cum ambularent, id est*, inquit, *adhuc viverent.*

*In loco sancto erant.* Id est, Grotio interprete, *Divinis honoribus colebantur, ut Augustus, de quo Virgilius,*

*Namque erit ille mihi semper Deus——*

*Et Horatius,*

*Præsenti tibi divinos largimur honores,*
*Jurandáque tuum per nomen ponimus aras.*

Heb. וּמִמְּקוֹם קָדוֹשׁ יְהֹלָכוּ, *& a loco sancto ambulabunt.* Id est, Daniele Brenio interprete, *Qui vero ut cultores Dei decet ambulaverant.*

*Et laudabantur in civitate.* Heb. וַיִּשְׁתַּכְּחוּ בָעִיר, pro quo Græcus & Vulgatus interpres legêre, וַיִּשְׁתַּבְּחוּ, quam lectionem posteriorem si sequamur, sensus erit impios commendari solitos in ipsis urbibus, ubi turpiter vixerant, ac si vitam puriter egissent. Si verò legamus, וַיִּשְׁתַּכְּחוּ, *& in oblivionem venerunt*, ut hodierni codices Hebræi constanter habent, sensus est, veros Dei cultores fuisse *oblivioni tra-*

*traditos contemtóſque in ea civitate, in qua jus adminiſtraverant*, ut loquitur mox laudatus Brenius.

*Quaſi juſtorum operum.* Heb. אשר כן עשו, *quòd rectum fecerint.* כן, inquit Druſius, *id eſt*, אמת, *veritas, rectum*, *ut Num.* 27. *v.* 7. כן דברות, *rectum loquuntur filiæ Salphaad. Aut eſt adverbium* כן, *id eſt, verè, rectè, quod dicunt* ὄντως. *Sic* ὄντως *uſurpatur in Evangelio. Vide Concordantias Novi Teſtamenti.*

*Sed & hoc.* Nempe dilaudari ab hominibus.

*Vanitas eſt.* Id eſt, nihil habet momenti ad veram felicitatem. Probat hic verſus ſummam beatitudinem noſtram non conſiſtere in honoribus. Q. d. Honores mundani pendent ab aliorum judiciis, & ſæpè improborum, aut imperitiſſimorum, qui laudant quæ vituperium merentur, & contrà vituperant quæ laude digna ſunt. Abſurdum autem eſt exiſtimare ſummum bonum noſtrum in aliorum qui improbi aut imperiti ſunt poteſtate eſſe poſitum.

11. *Etenim quia non profertur cito contrà malos ſententia.* Heb. אשר אין נעשה פתגם מעשה הרעה מהרה, *becauſe ſentence againſt an evil work, is not executed ſpeedily.* Q. d. Quia decretam ſcelerum vindictam Deus ad tempus differt, hac Domini tolerantiâ & tarditate abutuntur homines, audaciúſque in ſcelera proruunt. *Maxima illecebra peccandi, impunitatis ſpes*, inquit Tullius in Oratione pro Milone. Unde ipſemet, Verrinâ 5. exclamat: *O conſuetudo peccandi quantam habes jucunditatem in improbis & audacibus, cùm pœna abfuit, & licentia conſecuta eſt!*

12. *Attamen*, &c. Q. d. Sed quamvis Deus peccatori diuturniorem impunitatem conceſſerit, pro certo tamen habeo eos duntaxat felices, veréque beatos eſſe futuros qui Deum ſincerè colunt, ſollicitéque verentur ne pravè agendo illum offenderint.

13. *Non*

13. *Non ſit*, &c. Heb. לא יהיה, *non erit*. Q. d. Compertum quoque mihi eſt, quamvis impios inebriet ſua felicitas, & admirationi ſit apud omnes, caducam tamen & evanidam eſſe, eorúmque vitam fugacis inſtar umbræ momento excurrere, quòd Dei vivi reverentia ſuam peccandi licentiam & libidinem non contineant. Præclarè Joannes Maury Doctor Theologus in Prov. 10. v. 27.

*Non vivit, vitam quiſquis malè perdit agendo:*
*Sic brevis eſt, quæ vel longiſſima vita malorum.*

14. *Eſt & alia vanitas*, &c. Id eſt, aliam inſuper adverti infirmitatem & imperfectionem huic vitæ annexam, quòd in ea *& boni patiantur mala, tanquam mali ſint, & mali tanquam boni ſint adipiſcantur bona.* Aug. 20. Civ. cap. 3.

*Ac ſi pravi eſſent, juſti patiuntur amara*
*Plerumque; injuſtus ſecurum tranſigit ævum.*

*Sed & hoc vaniſſimum judico.* Heb. אמרתי שגם זה הבל, *dixi quod hoc quoque vanitas.* Id eſt, Infirmitas eſt & imperfectio huic vitæ præſenti annexa: *non utique ob aliud, niſi ut eam vitam deſideremus, quæ vanitatem non habet ſub hoc ſole, ſed veritatem ſub illo, qui fecit hunc ſolem.* Auguſtinus loco mox laudato.

15. *Laudavi*, &c. Q. d. Itaque ſiquis hujus vitæ frivolo bono frui velit, honeſtis voluptatibus hilariter indulgeat, quo nihil eſt in hac vita homini jucundius, nihílque amplius ſibi carpere poteſt ex omni labore ſuo, quamdiu Deus ei in hoc ſeculo vivere conceſſerit.

16. *Et appoſui*, &c. Q. d. Nec temerè judicavi lætum hoc vitæ genus homini eſſe inſtituendum. Nam cùm animum appuliſſem ad ſtudium ſapientiæ, mentéque perluſtraſſem quàm anxiâ & moleſtâ occupatione ſe torqueant homines, *Dum*

*—Dum naturæ rerum penetralia certant*
*Intima rimari, vel divini alta profundi;*
*Et toties deluſæ operæ nec pœnitet ipſos.*
*Imo inſtant operi ſemper, noctuque, diuque*
*Invigilant, & vitæ negant dare lumina ſomno.*

17. *Et intellexi*, &c. Q. d. Tunc animadverti ejuſmodi eſſe omnia Dei opera, ut homo quantumvis ſapiens, nequeat rationem eorum quæ ſub ſole fiunt aſſequi, quantumcunque in inquirendo laboret. Conſultius itaque eſt homini, ut horum inveſtigatione, quæ ſcire & aſſequi non poteſt, omiſſâ jucundè in Domino vivat.

*Etiamſi dixerit ſapiens*, &c. Senſus eſt, ut Joannis Maury verbis utar,

*Quicquid agit, ſapienter agit, juſtuſque, bonuſque,*
*Æternaque Deus mundum ratione gubernat.*
*At ratio nobis manet illa impervia ſemper,*
*Ipſe niſi retegat, placuit quo lumine, ſeſe.*
*Ac ſapiens illâ ſi gaudet luce reperta,*
*Hancque tenere putat, ſimilis magis ille tenenti;*
*Et, velut in ſomno, vanam complectitur umbram.*

CAP.

## CAP. IX.

*Incertos esse rerum humanarum casus: nec quicquam tutius, læto, & divinæ sapientiæ præceptis firmato animo, suaviter vivere & in sinu Dei recumbere.*

1. OMnia hæc tractavi in corde meo. Heb. כי את כל זה נתתי אל לבי, *sanè totum hoc posui in corde meo*, id est, mecum, seu cùm animo volui.

*Ut curiosè intelligerem.* Heb. ולבור את כל זה, *& ut totum hoc clare ac perspicue cognoscerem.* Q. d. Ego quidem quicquid mox dixi de incomprehensibili divinorum operum ratione sæpè mecum reputavi ac recogitavi, idque ut hoc totum dilucidè perspicerem, ne obstreperem Deo, quòd scilicet longè aliter administret genus humanum, quàm ferat captus noster.

*Sunt justi*, &c. Heb. אשר הצדיקים, *quod justi*, &c. Q. d. Ne, inquam, obstreperem Deo, quòd nimirùm justos & sapientes, eorúmque opera latere in occulto patiatur.

*In manu Dei.* Id est, Mariana interprete, *occulta, nobis ignota.*

*Et tamen nescit homo utrum amore an odio dignus sit, sed omnia in futurum servantur incerta.* Heb. גם אהבה גם שנאה אין יודע האדם הכל לפניהם, *etiam amorem, etiam odium nescit homo, omnia ad facies eorum.* Supple, hominum. *Est*, inquit Grotius, *mutatio numeri frequens ubi de generibus agitur.* Q. d. Adeo ut siquis à præsenti rerum statu censere velit, quos odio prosequatur Deus, quos amore complectatur,

tur, is fruſtrà laboret, ac nullo operæpretio torqueatur.

2. *Eò quod univerſa*, &c. Hoc eſt, tam proſpera quam adverſa probis & improbis pari ratione paſſim accidere ſolent. *Quamvis*, inquit Aug. 20. Civ. Dei cap. 2. *neſciamus quo judicio Deus iſta vel faciat, vel fieri ſinat: apud quem ſumma virtus eſt, & ſumma ſapientia, ſummaque juſtitia, nulla infirmitas, nulla temeritas, nulla iniquitas: ſalubriter tamen diſcimus non magni pendere ſeu bona ſeu mala, quæ videmus eſſe bonis malisque communia: & illa bona quærere, quæ bonorum: atque illa mala maxime fugere, quæ propria ſunt malorum.*

3. *Hoc eſt peſſimum*, &c. Heb. רע זה, *hoc malum in omni quod fit ſub ſole.* Q. d. Hoc incommodum in omnibus quæ fiunt ſub ſole conſpicitur, quòd tam bonis quàm malis eadem ſæpè uſu veniunt.

*Unde*, &c. Q. d. Dum cernuntur ita res confuſæ in mundo, hinc hominum animi inducuntur ad impium Dei contemtum, quia putant inſani omnia fortuitò volvi in terris, & Deo non eſſe curæ genus humanum.

*Contemtu.* Heb. הוללות, *inſaniis.*

*In vita ſua.* Id eſt, dum vivunt homines, inſaniunt inſaniam impiam, ſèque libidinibus conſtringendos tradunt, quaſi nullâ providentiâ regantur res.

*Et poſthæc ad inferos deducentur.* Heb. ואחריו אל המתים, *& poſthæc ad mortuos.* Q. d. Irreligioſè libidinoſéque actam vitam miſerabili morte finiunt nihil in impietate & inſania mutati. *Mortui*, inquit Druſius, *vocantur inferi, & contrà inferi ſunt mortui, quia ſub terra degunt.*

4. *Nemo eſt qui ſemper vivat, & qui hujus rei habeat fiduciam.* Heb. *Quiſquis enim aſſociatur ad omnes vivos*, ſeu, *in numerum viventium allectus eſt, ei ſpes*

*est*. כי מי אשר יבחר אל כל החיים יש בטחון. Monet Massora legendum יחבר. Sensus est autem, quamdiu enim spirat homo, sperabilis est ejus in melius mutatio.

*Melior est canis vivus leone mortuo.* Heb. כי לכלב חי הוא טוב מן האריה המת, *cani enim vivo melius est quam leoni mortuo.* Leonem & canem ponit in extremis Salomon, & illi hunc opponit, ut fortissimo & præstantissimo vilissimum. Q. d. Hac quippe spe mutationis in melius præclustrem mortuum despectissimus inter vivos præstat.

5. *Viventes enim sciunt se esse morituros.* Q. d. Irreligiosi, libidinosique, quamdiu vivunt, cogitatione mortis ineffugibilis ab irreligiositate sua, libidinéque abstrahi possunt.

*Mortui vero nihil noverunt amplius.* Heb. והמתים אינם יודעים מאומה, *mortui autem nesciunt quicquam.* Q. d. At irreligiosè libidinoséque mortuis nulla suppetit cogitatio, quâ possint repurgare animum scelerum conscientiâ contaminatum.

*Nec habent ultrà mercedem.* Q. d. Nullâ jam mercedis spe resipiscere & resilire à malo possunt mortui in impietate.

*Quia oblivioni tradita est memoria eorum.* Apud Deum scilicet, apud quem æterna erit pii hominis memoria. Ps. 112. v. 6. Memoria eorum, qui in impietate mortui sunt, prorsus deleta esse dicitur in Deo, quia gratiam suam & favorem omnem ab ipsis abstulit. Vide explicationem nostram literalem in Oseæ 1. v. 6. & 4. v. 6. ubi fusè explicavimus quid sit *oblivisci* Dei.

6. *Amor quoque*, &c. Q. d. Nec ulli jam usui est miseris, qui vitiis suis immortui sunt, benevolentia malevolentiáve, quâ ipsi alios, vel alii ipsos prosequebantur, quia nullum ultrà commercium habent cum

cum eis rebus aut perſonis, quæ ſub cœlo degunt.

7. *Vade ergo*, &c. Q. d. Quapropter dum vivis illud age & cura, ut Deo in cunctis operibus tuis placeas, animúmque habeas ſibi benè conſcium, ita fiet ut quocunque præſentis vitæ commodo utaris, ſive edas, ſive bibas, perpetuo veróque gaudio, animíque lætitiâ potiaris. *Idioma*, inquit Paſchaſius Radbertus Corbeienſis Abbas lib. 4. in Mat. 6. *Sanctarum Scripturarum eſt, ut ſic uni quaſi omnibus, & ſic omnibus quaſi uni loquantur, ut unuſquiſque ſpecialiter ſibi intelligat hoc dictum.*

8. *Omni tempore ſint veſtimenta tua candida*, &c. Q. d. Eſto tibi benè conſcius, & perpetuâ fruêris lætitiâ; namque benè ſibi conſcius animus, ipſa quoque inter adverſa lætitiâ exultare poteſt. Solebant veteres cùm ſeſe ad hilaritatem componerent, candidas ac niveas veſtes induere, capútque inungere. Vide Judithæ hiſtoriam cap. 10. v. 3. & 16. v. 8.

*Oleum*, &c. Horatius,

*Preſſa tuis balanus capillis.*

*Balaninum oleum vetuſtiſſimum unguentorum Plinio hiſtoriæ naturalis lib. 13. cap. 1. Inde non hîc tantùm, ſed & Cant. 1. v. 3.* שמן, *oleum pro unguento; & balſamum eſt* בעל שמן *princeps oleorum, id eſt, unguentorum.* Grotius.

9. *Perfruere*, &c. Q. d. Brenio interprete, *Fruere vitâ cum conjuge tua dilecta, quamdiu durat hæc caduca vita. Nam hoc eſt, quod ex labore tuo circa res hujus vitæ conſequi poſſis, dum officio tuo erga Deum functus es & quotidie fungeris, ſicque Deo probare ſtudes opera tua.*

10. *Quodcunque*, &c. Id eſt, eodem Brenio interprete, *Quicquid tibi obtigerit faciendum, ſive in cultu divino, ſive in rebus hujus vitæ, hoc facito pro viribus dum vita tibi ſuppetit.*

*Apud inferos.* Heb. בשאול, *in ſepulchro.* Q. d. Poſt mortem nihil efficies, ſatage ergo dum vivis. Hac autem ſententiâ Gregorius magnus homiliam decimam tertiam in Evangelia clauſit, ut populum ad bona opera excitaret: *Quia igitur*, inquit, *momentis ſuis horæ fugiunt, agite fratres chariſſimi, ut in boni operis mercede teneantur. Audite quid ſapiens Salomon dicat:* Quodcunque poteſt manus tua facere, inſtanter operare: quia nec opus, nec ſcientia, nec ratio, nec ſapientia erunt apud inferos, quò tu properas. *Quia ergo & venturæ mortis tempus ignoramus, & poſt mortem operari non poſſumus; ſupereſt, ut ante mortem temporæ indulta rapiamus: ſic enim, ſic mors ipſa, cùm venerit, vincetur, ſi priuſquam veniat, ſemper timeatur.*

11. *Verti me ad aliud & vidi.* Heb. שבתי וראה, *converſus ſum & vidi.* Hebraiſmus, id eſt, rursùs animadverti.

*Nec velocium*, &c. Senſus eſt, magis certa aptáque ad certum finem, eo perſæpè fruſtrari; etenim minùs velox citiùs non raro pertingit ad metam, aut pernicior non effugit minùs velocem ſe perſequentem: ſic non ſemper imbecillior ſuperatur à fortiori: nec qui ſapientior & prudentior eſt, valet aliquando res vitæ neceſſarias, multò minùs ſuperfluas opes comparare: nec denique qui in aliquo artificio præ ceteris excellit, ſemper apud homines gratiam inire; *quia*, ut verbis Brenii utar, *temporis mali, hoc eſt, infortunii occurſus, qui à ſolo Deo pendet, ſæpè intervenit bis omnibus.*

*Sed tempus, caſumque in omnibus.* Heb. כי עת ופגע יקרה את כלם, *quia tempus & caſus obvenit omnibus.* Q. d. Omnibus dictis rebus incogitabilis ſæpè infortunitas Dei providentiâ ſupervenit. *Tempus*, inquit Brenius, *pro tempore malo*, ut exponitur verſiculo ſequente.

12. *Neſ-*

12. *Neſcit*, &c. Heb. כי גם לא ידע, *nam etiam neſcit.* Q. d. Quomodo homo conatuum ſuorum, conſiliorum, ſapientiæ & induſtriæ eventum præſtare queat, cùm non prævideat *tempus ſuum*, id eſt, infortunium ſibi divinitùs præparatum, ſed ut piſces ſagenâ, & aves laqueo de improviſo capiuntur, ſic inopinanter adverſo tempore illaqueetur?

*Hamo.* Heb. במצודה רעה, *reti malo.* Id eſt, piſcibus noxio. Non poſſum hîc prætermittere egregiam Auguſtini comparationem tom. 3. lib. de agone Chriſtiano cap. 7. *Gaudet*, inquit, *piſcis, quando hamum non videns eſcam devorat: ſed cùm piſcator eum adducere cœperit, viſcera ejus torquentur primo, deinde ab omni lætitia ſua per ipſam eſcam, de qua lætatus eſt, ad conſumtionem trahitur. Sic ſunt omnes, qui de bonis temporalibus beatos ſe eſſe putant: hamum enim acceperunt, & cum illo ſibi vagantur: veniet vero tempus, ut ſentiant quanta tormenta cum aviditate devoraverint.*

13. *Hanc quoque ſub ſole vidi ſapientiam.* Id eſt, ſapientiæ vim.

*Et probavi maximam.* Hoc eſt, eámque ſummâ laude digniſſimam judicavi.

14. *Civitas parva*, &c. Eleganter pro more hunc verſum illuſtrat ſæpè laudatus Doctor Theologus Joannes Maury his verſibus:

*Urbs erat ampla parùm murorumque ambitus illi*
*Non magnus, rari cives, munimina pauca,*
*Nec ſatis aſſultus minimos propellere firma.*
*Hanc improviſus contra Rex advolat hoſtis*
*Bellantum numeroſa trahens ſecum agmina, ferro*
*Inſtructa & flammis. Nec ſat fatale minari*
*Exitium, confeſtim illud molitur, adornat;*
*Obſidione urbem cingit, crebro arietat ictu*
*Mœnia, fatalem jamjam tractura ruinam.*

15. *Inventúſque eſt vir pauper & ſapiens.* Heb. ומצא בה איש מסכן חכם, *& invenit* ſcilicet Rex obſeſſor *in ea* urbe nimirùm à ſe obſeſſa *virum pauperem ſapientem.*

*Et liberavit urbem per ſapientiam ſuam.* Q. d. Qui pauper conſilio & prudentiâ ſuâ urbem obſeſſam ab armis & obſidione Regis copiis validiſſimi liberavit, ut olim mulier ſapiens urbem Abelam 2 Sam. ſeu Reg. 20. v. 16. & ſeq.

*Et nullus deinceps recordatus eſt ampliùs.* Heb. ואדם לא זכר את האיש המסכן ההוא, *& nemo meminit viri illius pauperis.* Id eſt, ſecundum Hebræos interpretes, cùm nemo antehac viri illius pauperis ullam haberet exiſtimationem. Vulgatus interpres de futuro intellexit, q. d. Poſt acceptum liberationis beneficium ingrati cives liberatoris pauperis rationem non habuerunt.

16. *Et dicebam*, &c. Q. d. Miratus ſum itaque cùm vel hoc exemplo conſtet ſapientiam viribus longè præſtare, hominis tamen pauperis ſapientiam ferè faſtidiri, prudentibúſque ejus conſiliis plerumque non auſcultari.

17. *Verba ſapientium audiuntur in ſilentio*, &c. Heb. דברי חכמים בנחת נשמעים, *verba ſapientum in quiete audiuntur.* Q. d. Cùm tamen majorem ſibi audientiam facere deberet ſapientis cujuſque oratio lenis & ſubmiſſa quàm acris & elata ſtultorum principis. נשמעים, inquit Druſius, *ad verbum*, audiuntur, *quod explico*, audiri debent. *Simile*, Filius honorat patrem: *nam interdum aliter fit.*

18. *Melior*, &c. Hoc eſt, Utilior eſt ſapientia armis bellicis: verum quippe eſt celebre illud dictum: *Sapientiâ gubernator navem torquet, non valentiâ.*

*Et qui peccaverit in uno.* Heb. וחוטא אחד, *& peccans unus.* Id eſt, errórque unus, vel unius.

*Multa*

*Multa bona perdet.* Hebraiſmus, q. d. Magnas ſæpè clades parturit, ſeu, innumeris plerumque nocere ſolet.

## CAP. X.

### *Varia monita ad vitam rectè inſtituendam pertinentia.*

1. *Muſcæ morientes*, &c. Heb. זבובי מות, *muſcæ mortis*, id eſt, Scholiaſte Græco interprete, μυῶν θανάτου, *muſcarum mors.* Q. d. Ut muſca puſilla beſtia ad myropolium volans, & in narthecio caſu mortua, unguentum in eo reconditum totum inficit; ſic pretioſiorem ſapientiam & gloriam vel parva ad tempus ſtultitia deturpat. Hac comparatione monet Eccleſiaſtes cavendum viro quantumvis ſapientiæ & virtutis famâ inſigni necubi impingat, nève exiguâ labe ſapientiam inquinet: *Modicum enim fermentum*, ait Apoſtolus, *totam maſſam corrumpit.* 1 Cor. 5. v. 6.

*Perdunt ſuavitatem unguenti.* Heb. יבאיש יביע שמן רוקח, *putere facit & fœtere unguentum ſeplaſiæ.* Hujus locutionis eadem eſt vis, ac ſi dicat, Vel muſcarum una unguento quantumvis fragranti immortua, illud puteſcere ac fœtere facit.

*Pretioſior eſt ſapientia & gloria.* Heb. יקר מחכמה מכבוד, *pretioſum ob ſapientiam & gloriam.* Q. d. Sic hominem, qui ſapientiâ & gloriâ eximius eſt, fœtidum & infamem reddit.

*Parva ad tempus ſtultitia.* Heb. סכלות מעט, *parum ſtultitiæ.*

2. *Cor ſapientis*, &c. Q. d. Sapientis animus virtuti-

tutibus, ſtulti verò vitiis affectus eſt. *Dextera*, inquit Grotius, *eſt via virtutis, ſiniſtra via vitiorum, ut in litera Pythagoræ. Apparet id collatis locis Deut. 1. v. 39. & Jonæ 4. v. 21.*

3. *Sed & in via*, &c. Q. d. Quinetiam cùm per viam ſtultus ambulat, vecors eſt, vecordiámque ſuam ipſo inceſſu, & geſtu ceteris omnibus prodit, ſive tribuit.

*Cum ipſe inſipiens ſit.* Heb. לבו חסר, *cor ejus deficit.* Hoc Plautus diceret, *Deſipit mentis.*

*Omnes ſtultos æſtimat.* Heb. ואמר לכל ככל הוא, *dicítque omnibus, En ſtultum.* Si de ſe hoc dicere intelligatur, ſenſus erit ſtultum ſtultiam ſuam non poſſe diſſimulare, quæ ſemper ſuo ſe indicio prodit.

*Se ſtultum vultu, geſtu, inceſſuque fatetur.*

Sin verò cùm Vulgato interprete de aliis hoc ſtultum dicere affirmetur, ſenſus eſt, à ſtulto ceteros quoſque mortales velut deſipientes deſpici.

4. *Si ſpiritus poteſtatem habentis aſcendat ſuper te.* Id eſt, ſi Rectoris iram in te concitatam ſenſeris.

*Locum tuum ne dimiſeris.* Hoc eſt, ne deſeras ſtationem, in qua collocatus es, ſempérque ſerva humilem ſubditi animum.

*Quia curatio*, &c. Heb. מרפא, quod ab aliis redditur, *lenitas*, à Symmacho verò σωφροσύνη, *temperantia*, id eſt, modeſtia. Q. d. Hæc quippe humilis ſubjectio ſeu modeſtia & lenitas animi eſt congrua medicina, quâ iræ principis mederi poſſis, ne iratus in magna peccata incidat. Sic Abigail Davidis iram munuſculis humilíque deprecatione ſedavit, 1 Sam. ſeu Reg. 25.

5. *Eſt malum*, &c. Q. d. Aliud deprehendi ſub ſole malum, quod proficiſci videtur ex imprudentia dominatoris.

6. *Po-*

6. *Positum stultum in dignitate sublimi*, &c. Hoc est, vidi stultum ad summos honores evectum, neglectis iis, qui divites sunt sapientiâ. *Divites* hîc vocat Ecclesiastes eos, qui secundum ipsius phrasim suprà v. 1. pretiosi sunt ob sapientiam.

7. *Vidi servos super equos*, &c. *Servos* appellat insipientes & ad nullam præter servilem conditionem habiles: his opponit *principes*, hoc est, principatu dignos & aliis gubernandis aptos.

8. *Qui fodit*, &c. Proverbialis locutio, quâ significant Hebræi eum, qui aliis machinatur exitium, sibimet plerumque perniciem conscisere, juxta hunc versum à pueris Romæ totâ urbe cantatum apud Aulum Gellium lib. 4. Noct. Attic. cap. 5.

*Malum consilium consultori pessimum est.*

*Jus enim*, ut ait Cassiodorus lib. 5. Epist. *exigit ut sagittæ fraudis redeant in dolosam verticem sagittantis. Eundem*, inquit Brenius, *sensum habent quæ sequuntur de sepem dissipante, gravia saxa portante, & ligna findente, qui labores laborantibus interdum noxii esse solent.* Vide Psal. 7. v. 16. 9. v. 16 10. v. 2. Prov. 26. v. 27. & 28. v. 10. Eccli. 27. v. 28, 29, & 30.

10. *Si retusum*, &c. Q. d. Siquis ferrum suum passus fuerit hebetescere, ipsúmque expolire diu neglexerit, tunc non nisi multo labore illud repolire potest; at majorem longè requirit sapientia polituram in ingenio, quàm acies in ferro; unde nisi quis omni vi ac industriâ hebetem mentis aciem peracuere & perpolire nitatur, nunquam assequetur sapientiam. *Maximum mediocris ingenii subsidium diligentia.* inquit Seneca.

*Et post industriam sequetur sapientia.* Heb. יהתרון חכמה

הכשר חכמה, quod Grotius ex Maiemonide reddit: *Et plus multò rectificationis*, id eſt, polituræ *ſapientiæ*, requirit ſcilicet. *Hæc eſt interpretatio Maimonidæ longè optima*, inquit Grotius.

*Et hoc non ut prius, ſed hebetatum fuerit.* Heb. והוא לא פנים קלקל, *& ipſe faciem non expoliat.* Id eſt, quia ipſe ferri dominus ejus aciem expolire diu neglexit.

*Multo labore exacuetur.* וחוילים יגבר, *& vires intendet.* Hoc eſt, tunc opus eſt ut majores vires adhibeat ad illud ferrum repoliendum.

11. *Si mordeat ſerpens in ſilentio.* Heb. בלא לחש, *ſine incantatione.* Id eſt, non incantatus, vel qui incantari non poteſt, ſive quia incantatori recanit, ſive quia ſurdus eſt, & obturat aurem, id eſt, cantu nihilo magis afficitur, quàm ſi eſſet planè ſurdus, atque aures obturaſſet. Serpens, in quem irrita eſt incantatio, quia recanit ſeu recantat, hoc eſt, contrario ſibilo incantationem repellit & retorquet, dicitur ab Arabibus *Sil*, id eſt, *ſtridulus*, vel *tinnulus*; qui verò Mago non occentat, & obſibilat, ſtridore quòdam edito, ſed cantu non magis afficitur, quàm ſi ſurdus eſſet, aureſve obſtruxiſſet, ab iiſdem Arabibus vocatur *Aſammo*, id eſt, *ſurdus*, & phraſi tam Hebræis, quàm Arabibus familiari dicitur, *ad cantum obſurdeſcere*, vel, quod idem eſt, *aurem obturare.* Iidem Arabes docent apud Bochartum Hierozoici p. 2. l. 3. cap. 6. nullâ arte poſſe curari morſum ſerpentum ſtridulorum & ſurdorum, in quo cenſu numerant baſiliſcos, aſpides, ceraſtas, hydros & cherſydros.

*Nihil eo minus habet qui occultè detrahit.* Heb. ואין יתרון לבעל הלשון, *nihil amplius linguaci*, id eſt, obtrectatori. Q. d. Æquè pernicialis eſt obtrectator ac morſus ſerpentis incantamento non affecti, cujus

cujus virus quovis fascino creditur esse potentius *Non enim*, inquit Hieronymus, *minus nocet maledicus, virus pectoris sui in fratrem infundendo, quàm serpens morsu suo venenum inferendo.*

12. *Verba*, &c. Id est, sapientis oratio est omnibus grata, jucunda, utilis, salutaris & benefica, omniúmque gratiam ei conciliat; stulti verò hominis sermones, molesti sunt, ingrati, injucundi, perniciosi, non aliis tantùm, sed & ipsimet, cui tandem exitio sunt.

13. *Initium*, &c. Hunc versum sic illustrat clarissimus Maury Doctor Theologus;

*Insipiens primis vix vocibus ora resolvit,*
*Cùm subitò mentis manifestum apparet inane.*
*Namque nec attendit rerum tempusque, locumque,*
*Nec quos alloquitur, nec quo juvet ordine dici.*
*Cumque à principio parvus, sit maximus error*
*In fine, agglomerans semper; subitaria quædam*
*Excrescit moles, nexu quæ diffluа nullo.*
*Nec scitur quonam varians sententia tendat,*
*Nec quid concludat; mera certè ut somnia credas.*

*Error pessimus.* Heb. הוללות רעה, *insania mala*, id est, exitialis.

14. *Stultus verba multiplicat.* Id est, stultus putans se scire omnia, de omnibus loquitur tinnulâ verborum copiâ, quæ nil sani resonat, &, ut loquitur mox laudatus Maury,

———*quæ de pectoris imo*
*Non scaturit, verùm in summo quæ nascitur ore.*

*Ignorat*, &c. Q. d. Nec cogitat iste stultus quàm multa hominem æquè lateant ac futura contingentia soli Deo nota, & ei cui Deus illa revelare voluerit.

*Quid*

*Quid ante ſe fuerit.* Heb. מה שהיה, *id quod futurum eſt.* Vulgatus interpres aut legit מה שהיה *id quod fuit*, aut enallage temporis Scripturæ familiariſſimâ *futurum* credidit poſitum pro *præterito*.

15. *Labor*, &c. Paræmiali dicendi genere monet Salomon, quàm ſit vanus, inanis, inutilis, imò moleſtus ſtulti hominis labor circa arduas quæſtiones: cùm ne vulgares quidem & omnibus notas ſciat. Nam neſcire viam ad urbem, quid aliud eſt, quàm rem maximè notam neſcire? Duxit autem Metaphoram à viatoribus, qui urbem aliquam adeuntes, ſi viam rectam & compendiariam ignorent, per multarum viarum diſpendia faciunt iter, per loca ſæpè confragoſa, & paludoſa, & ſenticoſa, per intuta & impervia, atque ita ſe inani nonnunquam, ſemper moleſtiſſimo labore diſcruciant: qui ſi rectum noviſſent iter, ſine periculis & ærumnis, eò quò tendebant, brevi & facili viâ perveniſſent. *Lege*, inquit Hieronymus, *Platonem, Ariſtotelis revolve verſutias, Zenonem & Carneadem diligentiùs intuere, & probabis verum eſſe quod dicitur*, Labor ſtultorum affliget eos. *Veritatem quidem illi omni ſtudio quæſierunt: ſed quia non habuerunt ducem & prævium itineris, & humanis ſenſibus rati ſunt ſe comprehendere poſſe ſapientiam, ad civitatem minimè pervenerunt. Et quod de Philoſophis diximus, hoc idem & de hæreticis ſentiendum: quòd fruſtrà laborent, & affligantur in ſtudio Scripturarum, cum ambulent in deſerto, & civitatem invenire non valeant.* Huc facit illud B. Proſperi adverſus Collatorem cap. 26. *Neque enim ignotum eſt quantum Græciæ ſcholæ, quantum Romana eloquentia, & totius mundi inquiſitio circa inveniendum ſummum bonum, acerrimis ſtudiis, excellentiſſimis ingeniis laborando nihil egerint, niſi ut evaneſcerent in cogitationibus ſuis, & obſcuraretur cor inſipiens eorum, qui ad noſcendam veritatem ſemetipſis ducibus utebantur.* 16. *Væ*

16. *Væ tibi*, &c. Infelicem regionem illam prædicat Salomon, cujus Rex sensu & moribus puer est, & Principes potissimùm curant, ut pascant ventrem deliciisque luxurientur.

17. *Beata terra*, &c. Rempublicam felicem ait, cujus Rex ab ingenuis, nobilibus, & generosis, à quibus progenitus est Regibus, nequaquam degenerat; & cujus Principes non antevertunt tempus cibi capiendi, dúmque cibum capiunt, magis ad vires reficiendas, quàm ad captandas delicias & sectandam ebrietatem respiciunt. In aureo carmine,

Ἀλλὰ ποτῆ τε μέτρον, καὶ σίτε, γυμνασίων τε
Ποιεῖσθαι. μέτρον δὲ λέγω τόδ' ὃ μὴ ἀνιήσει.
*Est modus, hunc serva, potûs, dapis, atque laborum:*
*Quem si nosse cupis, modus est nocitura cavere.*

*Nobilis.* Heb. בן חורים, *filius liberorum.* Bochartus in suo Chanaan lib. 1. cap. 18. *Liber dicitur Bacchus Hebræa phrasi, qua* חורים *vocantur Principes, id est, liberi. Sic Eccles.* 10. *v.* 17. O te beatam regionem, cujus Rex est filius חורים liberorum, *id est, præclaris ortus parentibus, & ab illis liberaliter institutus. Atque ita nominantur Babylonii Principes Es.* 34. *v.* 12. *ubi Chaldæus habet* בני חורין bene herin *filios liberorum, seu heroum; inde enim heroum nomen, ut non immeritò Nimrodum Methodius appellet* ἀλιτρὸν τῶν ἡρώων. Porrò ex hoc Ecclesiastis versiculo infert Bartolus in l. honor. § de honorib. ff. de munerib. & honor. nobilitate præditos, ad dignitates, magistratus, honores, assumendos esse potiùs, quàm obscuros. *Nam consentaneum est*, inquit Plato in Alcibiade, *meliores esse naturas nobili in genere, quàm in ignobili: ac necesse est, ut benè nati, si benè educentur, ita demum ad virtutem perveniant.* Hinc requirit Thomas Aquinas in cap. 1. Epist. ad Heb. lect. 2. *ut facilè*

*quis*

*quis aliquam administret dignitatem, præter sapientiam, ne erret in gubernando, & virtutis potentiam in exequendo, generis quoque prosapiam, ne contemnatur præcipiendo.*

*Ad reficiendum, & non ad luxuriam.* Heb. בגבורה ולא בשתי, *propter fortitudinem & non propter potationem.* Id est, ut natura cibis sustentetur, non verò ut deliciis solvatur.

18. *In pigritia*, &c. Metaphorâ ductâ à contignatione domûs, in qua si paterfamilias aliquam labem animadvertat, nec ei statim occurrat, paulatim vitiabitur, usque quò collabascat, monet Ecclesiastes facilè, sensimque res omnes, ipsa quoque imperia collabefieri, nisi tempestiva præsto sit ac sedula diligentia, & solers animi provisio. Notandum verò nomen עצלתים significans pigritiam dualis esse numeri, ut denotet pigritiam manuum quæ geminæ sunt, vel pedum, qui gemini sunt quoque, vel corporis & animi, vel negligentiam rerum præsentium & futurarum, vel socordiam superiorum & inferiorum, principum & subditorum. Utut est, constat Salomonem hîc ad geminas alludere manus, quarum officium est, contignationi humiliatæ seu labefactatæ statim occurrere.

*Et in infirmitate.* Heb. ובשפלות, *& in remissione*, id est, torpore.

19. *In risum*, &c. Q. d. Sola edendi, potandique inexaturabilis libido exercet solutos in risum, stultámque lætitiam; útque his vesanis potiantur voluptatibus, per fas & nefas omni ausu undique pecuniam corradunt, quia, ut sæpè laudati Maury verbis utar,

*Omnia divitiis parent, illisque parantur:*
*Allubeat quicquid, regina pecunia donat.*

Nihil

*Nihil tam ſanctum*, inquiebat Verres, *quod non violari, nihil tam munitum, quod non expugnari pecuniâ poſſit.* Seneca lib. 3. de ira cap. 32. & 33. *Circa pecuniam*, inquit, *plurimum vociferationis eſt: hæc fora defatigat, patres liberóſque committit, venena miſcet, gladios tam percuſſoribus, quàm legionibus tradit. Hæc eſt ſanguine noſtro delibuta. Propter hanc uxorum maritorumque noctes ſtrepunt litibus, & tribunalia magiſtratuum premit turba. Reges ſæviunt rapinisque, & civitates longo ſeculorum labore conſtructas evertunt, ut aurum argentumque in cinere urbium ſcrutentur. Libet intueri fiſcos in angulo jacentes. Hi ſunt propter quos oculi clamore exprimuntur: fremitu judiciorum baſilicæ reſonant: evocati ex longinquis regionibus judices ſedent judicaturi utrius juſtior avaritia ſit. Quid ſi ne propter fiſcum quidem, ſed pugnum aris, aut imputatum à ſervo denarium, ſenex ſine herede moriturus ſtomacho dirumpitur? Quid ſi propter uſuram haud milleſimam, valetudinarius fœnerator diſtortis pedibus, & manibus ad computandum modo relictis, clamat, ac per vadimonia aſſes ſuos in ipſis morbi acceſſionibus vindicat?*

20. *In cogitatione tua*, &c. Hoc eſt, cave ne Regis vitam & mores, vel per cogitationem reprehendas: néve magnatibus etiam in tuo ſecretiore cubiculo detrahas; habent enim corycæos, ſeu quadruplatores & ſtationarios, per quos quàm citiſſimè addiſcant, quæ putantur maximè occulta. Quomodo Midæ aiunt *aſini auriculas* à Poëtis affingi, eo quòd exploratores haberet per omnes regni ſui partes, qui expiſcarentur quicquid fieret aut diceretur à ſubditis, & ipſi omnia renuntiarent. Apparet interim Salomonem non ſolo periculi metu ab hoc malo nos deterrere, cùm non tantùm verbis, ſed & cogitationibus frenum injiciat, quæ uni Deo cordium ſcrutatori notæ ſunt. Jam ſi ne cogitatione quidem Regi detra-

trahere licet, quantò minùs illum liceat aut execrari verbis, aut factis etiam impetere?

*Diviti.* Hoc est, Magnati.

*Quia & aves cæli*, &c. Periphrasis est delatorum, qui intentis auribus omnium sermones sublegunt, ut eos ad Principem referant. Ridiculè Rabbi Salomon per *avem cæli* animam intelligit aliquando in cœlum evolaturam, & per *alitem* Angelum ipsi adjunctum. Nec minùs absurdè Chaldæus Paraphrastes Razielem Angelum monti Oreb insidentem, & Eliam aërem instar aquilæ pervolantem, ut occulta retegant, & propalent. Quod officium Judæi meliùs Elisæo assignassent ex 4 Reg. 6. v. 9.

*Annuntiabunt sententiam.* Heb. דבר, *verbum*, quod scilicet in occulto dixisti. *Inter Persas aures regiæ & Imperatoris oculi quidam vocabantur, per quæ officiorum genera Rex ille ab hominibus Deus esse credebatur, cum omnia, quæ ubique gererentur, tanquam ubique præsens alienis & oculis & auribus cognosceret.* Apuleius.

---

## CAP. XI.

*De benignitate ac beneficentia colenda: déque vitæ præsentis vanitate, & mortis perpetua meditatione.*

1. *MItte panem*, &c. Q. d. Imperti fortunas tuas sine retributionis spe pauperibus, qui aquarum instar accipiunt res sibi impertitas, nec reddunt; tuæ enim liberalitatis mercedem, quam videbaris hominibus amisisse, tandem aliquando amplè à Deo recipies. *Id justè, id pie, id humane fit, quod sine spe recipiendi feceris.* Lactantius.

2. *Da*

2. *Da partem septem, nec non & octo*, &c. Finito numero pro infinito sumto monet Ecclesiastes quàm plurimis poterimus egenis bona nostra impertienda esse, imò continuis beneficiis unumquemque esse devinciendum, juxta illud Christi Luc. 6. v. 30. *Omni petenti te, tribue*: cùm omnia ista incertissima sint & nunquam ferè non infesta malis innumeris. Q. d. Nunquam tua refrigescat in alios beneficentia ac benignitas; fieri enim potest, ut calamitas aliqua ingruat, quâ fiat, ut tu de fortunis tuis dejectus, aliorum egeas ope, atque illi ipsi forsan, quos juvisti, vicissim te juvent: vel certè fieri potest, ut tu in communi aliorum exitio pereas, nec tibi liceat ampliùs benefacere cùm velis, & tunc doleas, quòd forsan indignis tua relinquere cogaris. Interim ergo dum licet, charitatem exerce, juva quàm potes plurimos, & unumquemque beneficiis devinci. Vide explicationem nostram literalem in Mic. 5. v. 5.

3. *Si repletæ*, &c. Proverbiali dicendi genere & similitudine nubium, quæ Dei nutu imbres super tellurem ardore Solis exustam, ut eam recreent, ejúsque sitim extinguant, mirâ suavitate fundere solent, hortatur Salomon sectatores sapientiæ ac pietatis ad eleemosynas pauperibus erogandas. Minimè enim verendum est, ne qui largitur, exhauriatur; quemadmodum enim nubes postquam exonerarunt se, rursùs implentur à Deo, ut imbres de novo super terram effundant: ita etiam postquam quis bona sua pauperibus distribuit, novis bonis cumulatur à Deo, qui cum ejus liberalitate certat, ut similes & majores eleemosynas impertiri valeat. Si verò nubes sint exiles & raræ, vix aquam fundunt: ita si tenues sint hominis facultates, ut propriæ sustentationi sint necessariæ, non tenetur pauperibus eas erogare; licèt Deo rem gratam faciat, qui etiam de necessariis mo-

dicum ſubtrahit, ut conferat egenis. Unde ſalubre illud Tobiæ conſilium: *Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: ſi autem exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri ſtude.* Tob. 4. v. 9.

*Si ceciderit*, &c. Q. d. Ut arbor ſemel exciſa & à radice evulſa non poteſt ſeipſam ſurrigere, ſic homo mortuus nequit reſurgere ut fructus ferat pietati congruos, quos vivus ferre neglexit. Hieronymus ſuprà in cap. 9. *Mortui*, inquit, *nihil valent ad id adjicere, quod ſemel ſecum tulere de vita: & oblivione obvoluta ſunt omnia.* Idem præſentem textum ediſſerens, *Mortis*, ait, *tempeſtate ſubverſus, ubicunque ceciderit, ibi jugiter permanebis: ſive te rigidum & trucem, ſive clementem & miſericordem, ultimum invenerit tempus*, Paulò pòſt: *Lignum igitur quod in hac vita corruerit, & conditione mortalitatis fuerit inciſum, aut peccavit antè dum ſtaret; & in Boreæ parte poſteà ponitur: aut ſi dignos Auſtro fructus attulerit, in plaga jacebit Auſtrali. Nec eſt aliquod lignum, quod aut ad Aquilonem non ſit, aut ad Auſtrum.* Hæc Hieronymus. Salonius Epiſcopus Viennenſis in ſua myſtica in Salomonis Eccleſiaſten expoſitione tom. 1. Bibliothecæ patrum, *Per lignum*, inquit, *homo deſignatur: per Auſtrum, requies Paradiſi; per Aquilonem, Inferni ſupplicium. Et eſt ſenſus: Ubicunque ſibi homo locum ad futuram ſedem præparaverit, ſive ad Auſtrum, cùm ceciderit, id. eſt, mortuus fuerit, in requie Paradiſi & gloria regni cœleſtis permanebit in æternum. Si vero malè vivendo ſibi locum præparaverit ad Boream, Inferni pœnas luet in ſeculaſeculorum.* Similiter hunc locum interpretatur Olympiodorus tom. 2. Bibiloth. Græcolat. *Ligna*, inquit, *in Scripturis dicuntur tum ſancti, tum peccatores. Auſter autem accipitur pro loco lucido, & pro ipſa vera luce Domino noſtro Jeſu Chriſto. Boreas autem pro caliginoſo & tenebrarum pleno diabolo. In quocunque igitur*

*igitur loco, sive lucis, sive tenebrarum, sive in opere malitiæ, sive in opere virtutis deprehensus fuerit homo quando finit hanc vitam, in illo manet gradu & ordine: vel in luce, cum justis & universorum Rege Christo; vel in tenebris, cum injustis & mundi principe.*

4. *Qui observat ventum*, &c. Q. d. Qui ideo non est in pauperes beneficus, quia futura ignorat, perinde facit ac siquis venti aut nubis metu serere aut metere dubitet. *Qui omnia timent, nihil conantur.* Quintil. 2. Instit. 4. *Non omnia*, inquit Xerxes apud Herodotum lib. 7. *reformides, nec singula peræque consideres. Nam si velis in rerum consultatione omnia perinde considerare, nunquam aliquid efficies.*

5. *Quomodo*, &c. Q. d. Quemadmodum ignoras venti originem, & rationem, quâ compingantur ossa in utero prægnantis, sic nescis ordinem divinæ providentiæ, quid de te Deus ordinaverit, an & quamdiu vitam tibi producere constituerit. Itaque dum licet misericordiam erga pauperes exerce.

6. *Mane*, &c. Similitudine seminis, quod congruo tempore, & nulla occasione omissâ terræ mandari debet, ut amplam & copiosam messem proferre possit, præcipitur beneficentia in pauperes continua: quoniam constare non potest, quodnam beneficium prius an posterius, an utrumque simul majores meliores ve fructus procreabit, sive accipienti, sive conferenti: fieri enim potest ut posterior eleemosyna magis necessaria petenti, magis utilis danti, magis grata Deo existat, quàm prior, vel vice versâ.

7. *Dulce lumen*, &c. Q. d. Lumen sanè Solis est aspectu delectabile, & vita homini jucunda est.

8. *Si annis*, &c. Q. d. Tamen si cogitet homo quàm multi futuri sint dies, quibus in sepulchro jacebit, quicquid ei voluptatis in hac vita quantumvis longæva ac dulci obtingit, id evanidum esse cognoscet.

*Meminisse debet tenebrosi temporis*, &c. Heb. וזכר את ימי החשך כי הרבה יהיו כל שבא הבל, *recordetur vero dierum tenebrarum, qui multi erunt, quicquid ei obvenit, vanitas*, supple, ipsi apparebit. Q. d. Ubi tamen cogitaverit homo sibi esse moriendum, & diuturnissimum tempus in sepulchro consumendum, omnem omninò hujus vitæ longævitatem, & amœnitatem, quanta quanta sibi obtigerit, pro mera vanitate reputabit.

9. *Lætare*, &c. Hoc est, Sic hilarem te reddat, juvenis, adolescentia tua, & sic consectare quæ animo appetieris, & quæ oculis conspexeris, ut meminerís te horum omnium tandem Deo rationem esse redditurum. Neque enim dici potest Salomonem largiri hîc adolescenti licentiam ad sese immergendum in voluptates, cùm futurum judicium denunciet, in quo quæcunque hac in vita egimus, Dei, & non hominis alicujus ponderibus examinabuntur, ut cuique secundum opera sua reddatur. Ironicè itaque loquitur Ecclesiastes, cóque sensu, quo Angelus dicit, Apoc. 22. v. 11. *Qui nocet noceat adhuc, & qui in sordibus est, sordescat adhuc.* Q. d. Age igitur, qui ætate flores, & opibus tuis niteris, voluptates sectare, & quicquid oculos pascit, ceteríve sensibus arridet, amplectere: summam tibi ipse, eâ ratione, miseriam comparas: sistes enim tandem coram inadulabili judice, in cujus omnes judicium venire oportet, nec illud tibi liberum erit respuere: sed ea, quam ille de rebùs tuis sententiam tulerit, perpetuò fixa manebit, & nullis unquam poteris ipsam viribus infringere. *Sic*, inquit Daniel Brenius, *severissimè reprimit juveniles concupiscentias, quas & Paulus vitare monet 2 Tim. 2. v. 22.*

10. *Aufer iram*, &c. Adolescentes à juvenili ferocitate, omnibúsque inordinatis affectibus, quibus ipsi

ipsi præ ceteris æstuant, avocat: ex eo quòd florens ipsorum ætas insitâ naturæ vi non diu perduret, sed perquàm citissimè evanescat, & quamdiu viget, *Difficile est cogitatu, in quot cogitationes per omnes diei horas, adolescens vagâ mente declinet*, ut loquitur venerabilis Beda in Prov. 30. v. 19.

*Amove malitiam.* Id est, ne malis cupiditatibus des locum.

*Et voluptas.* Heb. וחשחרות, *& juventus.* Hæc שחרות dicitur ab aurora, quia illi est similis ea ætas, sicut senectus vesperi.

---

## CAP. XII.

### *Nihil usquam firmum ac stabile esse, præter Deum, ejusque cultum & timorem.*

1. MEmento, &c. Lubricam juvenum ætatem memoriâ Dei reprimit, &, ut eos à peccandi consuetudine avocet, gravem illis, miseram, ac morosam senectutem minitatur; juvenes enim in vitiis enutriti, cùm senescunt, sunt omnium miserorum miserrimi. Usus est verò *Creatoris* nomine, quòd magnam emphasim contineat ad extorquendam ab adolescentibus humilitatem, amorem, observantiam, timorem, fidelitatem & spem; res namque è nihilo creata, in nihilum recidit, nisi à creatore suo conservetur. Seneca Epist. 108. *Juvenes possumus discere, possumus facilem animum & adhuc tractabilem ad meliora convertere: quia hoc tempus idoneum est laboribus, idoneum agitandis per studia ingeniis, & exercendis per opera corporibus. Quod supereſt, segnius & languidius est, & propius à fine.*

*Creatoris tui.* Heb. בוראיך, *creatorum tuorum.* Plurale pro ſingulari paſſim uſurpatur in veritate Hebraica, cùm de Deo ſermo eſt, quia nomen אלהים, quo Deus ſignificatur, terminationem pluralem habet.

*Antequam veniat tempus afflictionis.* Heb. עד אשר לא יבאו ימי הרעה, *priuſquam veniant dies mali.* Hoc eſt, triſtes. Q. d. Antequam ſeneſcas. *Triſtem* Virgilius vocat ſenectutem, ſempérque illam & morbos unà ponit, quia ſenectus ipſa inſanabilis morbus eſt. Ut autem advertit Seneca loco mox laudato, *Senectus premit, & adhuc adoleſcentiam cogitantibus ſupra caput eſt.*

2. *Antequam tenebreſcat,* &c. Senectutis incommoda generaliter deſcripta verſu mox præcedenti, jam per partes deſcribere aggreditur, q. d. Priuſquam ſenio caligantibus oculis,

*Sit veluti ſine luce dies, tenebreſcere Sólque,*
*Et Luna, & Stellæ furvo videantur amictu.*

Chaldæus Paraphraſtes per Solem, Lucem, Lunam & Stellas intelligit decorem vultûs & organa ſenſuum, quæ ſenio fœdantur.

*Et revertantur nubes poſt pluviam.* Id eſt, priuſquam deficiente ſtomachi calore,

*E male digeſtis dapibus, crudíſque, vapores*
*Alta petant cerebri, & jugi pituita liquore*
*Diffluat; unde iterùm nubes conflentur aquoſæ;*
*Succedántque ſibi nubes, pluviæque viciſſim,*
*Totaque fæx vitæ fluxu volvatur in iſto.*

3. *Quando commovebuntur cuſtodes domûs.* Id eſt, trement manus, quas corpori, quod hîc *domus* vocabulo ſignificatur, Deus cuſtodum & ſatellitum vice appoſuit.

Et

*Et nutabunt viri fortissimi.* Hoc est, & languebunt brachia tam rigidis olim compacta nervis,

*Ad quorum vires hostes tamen ante tremebant.*

*Et otiosæ erunt molentes.* Heb. ובטלו הטחנות, *& cessabunt molitrices*, supple, שנים *dentes*, quod Hebraicè feminini generis est. Q. d. Frustrà escam molere tentabunt dentes Molares. Cibos dividunt Incisores, frangunt dentes Canini, comminuunt Molares.

*In minuto numero.* Heb. כי מעטו, *quia imminuti sunt*, viribus scilicet & numero.

*Et tenebrescent videntes pro foramina.* Q. d.

*Qui tibi nunc acres oculi, flammæque coruscant*
*Participes multæ, tardi, tremulique nequibunt*
*Esse duces gressus, lippo, vel lumine cæco.*

4. *Et claudent ostia in platea.* Heb. וסגרו דלתים בשוק. *& claudentur ostia forinsecus.* Id est, meatus, per quos cibi intrant, omnes obturabuntur, nec solito fungentur officio.

*In humilitate vocis molentis.* Heb. בשפל קול הטחנה, *propter humilitatem vocis molitionis*, seu *molæ.* Id est, propter ægram ciborum concoctionem in ventriculo. Eleganti autem Metaphorâ imbecillitatem concoquendi per exiguum sonum molitionis indicat: *quia*, ut ait clarissimus Mercerus, *vehementiorem in pistrino sonum edit mola, dum bene molit; exiliorem, si minus rectè molat.*

*Et consurgent*, (Heb. ויקום, *& consurget*, senex scilicet) *ad vocem volucris.* Id est, Maury interprete,

*Præterea sicco à cerebro, nimióque caloris*
*Defectu levis irrepet sic somnus, ut illum*
*Gutture rumpat avis quantum sit cunque pusillo*

*Nedum quæ cantans ipſum peracuta veternum*
*Excitat, & Solem clamoſo provocat ore.*

*Volucris.* Heb. הצפור, quæ vox, etſi omnes omninò aves cujuſcunque magnitudinis complectatur, uti in Lexicis ſuis obſervarunt Kimchius, Pomarius, & Aquinas, atque conſtat ex Deut. 4. v. 17. & 14. v. 11. & 22. v. 6. Pſ. 8. v. 8. & 9. & 148. v. 10. Ezech. 17. v. 23. & 39. v. 4. & 17. Dan. 4. v. 9. 18. & 20. tamen quandoque hoc eodem nomine paſſerem ſpeciatim ſignificari aſſerit Kimchius in Pſ. 84. v. 4. Atque ita nonnulli per צפור hoc Eccleſiaſtæ loco intelligunt gallum, & ſignificari volunt ſenem circa gallicinium, id eſt, ſummo manè excitari. Idem erit ſenſus ſi per *vocem volucris* hîc intelligatur matutinus garritus avium circa auroram, qui Arabicè voce maximè propriâ dicitur *Zakzaka*, uti ex Alcamo obſervavit Bochartus Hierozoici p. 2. lib. 1. cap. 22. Porro gallus homines matutino cantu excitans ſimpliciter *ales* vocatur in his Ovidii Amorum lib. 1. Eleg. 6.

*Jàmque pruinoſos molitur Lucifer axes*
*Inque ſuum miſeros excitat ales opus.*

Alii vero צפור hîc paſſerem interpretantur, ut ſenſus ſit, ſenem tam leviter dormire, ut ad minimum quemque ſtrepitum, putà ad paſſeris, aut aliûs aviculæ vocem ſomnus ejus abrumpatur, dum juvenes tam altè dormiunt, ut ne tonitruum quidem fragorem audiant.

*Et obſurdeſcent omnes filiæ carminis.* Heb. וישחו כל בנות השיר, *& incurvabuntur omnes filiæ cantici.* Id eſt, caſſæ erunt omnes muſicæ puellæ, omnia vocis inſtrumenta ſordeſcent, nec ſomnum inducere valebunt exurdatis. Sic Berzillai octogenarius ait

ad

ad Regem David 2 Sam. seu Reg. 19. v. 35. *Nunquid ultrà audire possum vocem cantorum atque cantatricum ?*

5. *Excelsa quoque timebunt.* Id est, Loca alta conscendere non audebunt defecto poplite labantes.

*Et formidabunt in via.* Heb. וחתחתים בדרך, *& terrores in via.* Q. d. Quin & planam viam euntes timebunt ne,

*——— In lævi pes cespitet æquore campi.*

*Florebit amygdalus.* Id est, Veneranda quidem, sed mortis nuntia canities caput ac tempora vestiet, & floridæ instar amygdali albescet. Amygdali flores percandidi sunt, & quia, uti observavimus in explicatione nostra literali in Cant. 5. v. 10. Latini purpureum pro summè candido usurpant, in Priapeis amygdalus dicitur, *Flore purpureo fulgens.*

*Impinguabitur locusta.* Heb. ויסחבל החגב, *& ingravescet caput femoris.* חגב, inquit clarissimus Bochartus Hierozoici p. 2. lib. 4. cap. 8. *hoc loco non est locusta, sed pars cruris, prout cruris nomen etiam femur complectitur. Et quæ pars illa sit, ex Arabibus puto me didicisse, quibus* Chagaba *est caput femoris. A quo femoris capite cùm incipiat motus cruris, meritò de sene dicit Solomon,* ויסחבל חגב, & ingravescet Chagab; *ut doceat illi graviorem & tardiorem esse incessum,* Plautus in Menæchmis,

*Nam pernicitas deserit; confitus sum*
*Senectute; onustum gero corpus; vires*
*Reliquere; ut ætas mala, mala merx est ergo.*

*Et dissipabitur capparis.* Id est, Joanne Maury interprete,

*Illa libidinibus quæ capparis apta, gulaque*
*Inservire, impos neutrum stimulabit ad usum;*
*Incentiva itidem prodesse nec ulla valebunt.*

Heb.

Heb. ותפר האביונה, quod plerique reddunt, *Et diſſipabitur aviditas.* Faſtidioſi plerumque ſunt ſenes, omniúmque pertæſi.

*Quoniam ibit homo*, &c. Eleganter mortem jamjam imminentem deſcribit. Q. d. Properat enim ad ſepulchrum, ubi uſque ad conſummationem ſeculi commorabitur, jámque pompa, quæ mortuo parentet, acceleratur.

6. *Antequam*, &c. Q. d. Maury interprete,

*Ergò age, maturâ virtutem amplectere curâ,*
*Expectare negans, exhauſtis oſſa medullis*
*Arida dum fiant; venarum in fonte geletur*
*Sanguis; Spirituum vas diffluat omne; calorque,*
*Quo vivis ſpiraſque, leves vaneſcat in auras.*

*Rumpatur funiculus argenteus.* Id eſt, Priuſquam medulla argenti inſtar candida deſinat manare à cerebro, à quo per ſpinam dorſi tanquam funis dependet.

*Recurrat vitta aurea.* Heb. ותרץ גלת הזהב, *& quaſſetur guttus aureus.* Id eſt, *Fel, quod eſt bilis conceptaculum, flavi coloris ut aurum, & in morte rumpitur*, inquit Mariana.

*Et conteratur hydria ſuper fontem.* Hoc eſt, juxta fontem. Q. d. Priuſquam venæ, quæ ſunt proprium ſanguinis conceptaculum, & à dextro cordis ventriculo proficiſcuntur, ceſſent ſanguinem in ſcaturiginem ſuam, id eſt, in cor refundere, & in ſe ſtagnare ſinant; tunc enim ſanguinis motio & circulatio impeditur, & ipſe moritur in venis, unde profluit frigiditas extremorum in moribundis. Ita clariſſimus Medicinæ Doctor Johannes Smith.

*Et confringatur rota ſuper ciſternam.* Id eſt, juxta ciſternam. *Sanguis*, inquit mox laudatus Smith, *naturaliter & ſponte tendit in venis ad cor, inde autem*

in

*in reliquas corporis partes per vim pellitur : non ſecus ac fluvii ſponte in mare fluunt, inde autem refluunt impulſu & vi maris. Sanguis è corde pulſus ſtatim recipitur in arteriam Aortam, quæ quum primum & præcipuum ſit rotationis ſive circulationis inſtrumentum, aptè per* rotam *ſignificatur. Porro, licet arteria cum ramis ſuis hîc præcipue intelligatur, non tamen excluditur parenchyma, ſive ſubſtantia cordis : nam ut facultas pulſifica eſt movens, ita omnia pulſationis inſtrumenta hic deſignantur per* rotam, *quia illa. & illæ ſola, ſanguinem è fonte ſive centro ſuo pellunt in circumferentiam corporis.* Ciſterna, *unde ſanguis ab hac rota pellitur, eſt ſiniſter cordis ventriculus, cui nimirùm magna arteria annectitur, & unde oritur. Denique* contractio rotæ ad ciſternam *hic nihil aliud eſſe poteſt quàm ceſſatio ſive abolitio pulſus, ſive aſphyxia ; quod ſymptoma hic deſignatur, & morientis certum indicium eſt.*

7. *Et revertatur pulvis*, &c Lucidiſſima eſt antitheſis inter humani corporis & humanæ mentis ortum. Corporis ex pulvere origo, & in pulverem reſolutio :

*Aſt immortalis, cuique eſt cœleſtis origo,*
*Carcere mens educta, iſtis & libera vinclis*
*Corporeis, cognata redux petet aſtra, ſuúmque*
*Ibit ad autorem, in pœnas aut præmia vivax.*

8. *Vanitas*, &c. Q. d. Omnia humana rerum fluxarum fugaciúmque ſtudia ſunt vaniſſima, nihílque hominem præter vitam ſobriè, juſtè & piè actam beare poteſt.

9. *Cumque eſſet ſapientiſſimus Eccleſiaſtes.* Heb. ויתר שהיה קהלת חכם, *& quo ſapientior fuit Eccleſiaſtes*, ceteris ſcilicet mortalibus.

*Docuit populum.* Heb. עוד למד דעת את העם, *adhuc docuit populum ſcientiam.* Id eſt, Eo plura ſcitu

ſcitu digna populum docuit. *In ſe*, inquit Ambroſ. 2. Offic. 15. *refluit ubertas prudentiæ; & quo pluribus fluxerit, eo exercitius fit omne quod remanet.*

*Et enarravit quæ fecerat.* Heb. וַיַּאֲזֵן, *& auſcultare fecit.* Q. d. Majorémque doctrinæ à ſe traditæ fidem conciliavit.

*Et inveſtigans compoſuit parabolas multas.* Hoc eſt, Et exploratas ſibi egregias γνώμας ordine digeſſit.

10. *Quæſivit verba utilia.* Heb. דִּבְרֵי חֵפֶץ, *verba placentiæ.* Q. d. Mariana interprete,

*Multaque conſcripſit, queis miſcuit utile dulci,*
*Suaves ſermones, & pietate graves.*

11. *Verba ſapientum ſicut ſtimuli & quaſi clavi in altum defixi.* Ita Lucianus de Nigrino Philoſopho, Κατὰ τὸν Κωμικὸν ὡς ἀληθῶς ἐγκατέλιπέ τι κέντρον τοῖς ἀκούσι. *Juxta Comicum quam vere auditoribus aculeum quendam reliquit.* In Nigrinum ſic transferens, quod de Pericle dixerat Comœdia vetus. Cicero lib. 3. de Oratore. *Quid Pericles? cujus in labris veteres Comici leporem habitaſſe dixerunt, tantamque in eo vim fuiſſe, ut in eorum mentibus, qui audiſſent, quaſi aculeos quoſdam relinqueret.* Et Valerius Maximus lib. 8. cap. 9. *Veteris Comœdiæ maledica lingua, quamvis potentiam viri perſtringere cupiebat, tamen in labris ejus hominis melle dulciorem leporem fatebatur habitare; inque animis eorum, qui illum audierant, quaſi aculeos quoſdam relinqui prædicabat.* Eupolidis *Demos* intellige, ubi de Pericle inter cetera hæc dicebantur,

Πειθώ τις ἐπεκάθητο τοῖσι χείλεσιν
Οὕτως ἐκήλει, καὶ μόνῳ τῶν ῥητόρων
Τὸ κέντρον ἐγκατέλειπε τοῖς ἀκροωμένοις.
*Quædam inſidebat Suada labris illius,*
*Mulcebat arte tanta, ut unus linqueret*
*Fixos in animis audientium aculeos.*

Citat

Citat hæc Plinius junior lib. 1. ep. 19. quibus de suo addit, *Relinquere verò aculeum in audientium animis is demùm potest, qui non pungit, sed infigit.* Quæ Christianus aut Judæus si dixisset, putaretur allusisse ad institutam hîc à Salomone comparationem verborum à sapientibus prolatorum cum stimulis & clavis infixis. Planè diverso sensu Æschyli grandia verba vocat Aristophanes ῥήματα γομφοπαγῆ, *verba clavis connexa*, id est juxta Scholiastem, ἀκριβέστατα, πολυσύνθετα, σκληρὰ, καὶ ἧκον ποιοῦντα ὥσπερ αἱ κικαρφωμέναι σανίδες, *accuratissima, plurimùm composita, dura & sonora, ut sicci asseres.*

*Quæ per magistrorum consilium data sunt à pastore uno.* Heb. בעלי אספות נתנו מרעה אחד, *autorum collectionum*, sub. dicta; *dati sunt à pastore uno.* Quos *Sapientes* mox vocavit, nunc *dominos* sive *autores collectionum* vocat, alludens ad morem hominum Spiritu-sancto afflatorum, qui tunc solebant abbreviare & colligere verba Prophetarum & historiarum S. Scripturæ in unum volumen. Jam addit hos sapientes & collectionum autores datos esse ab uno pastore, Deo scilicet, ut non tam attendantur illi, qui cum sapientia loquuntur homines, quàm Deus ipse, qui per eos loquitur. Eruditissimus *Johannes Lightfoot* in Horis Hebraicis in Joa. 10. v. 3. *Fallor*, inquit, *aut servi ministrantes circa gregem sub pastore gregis domino vocantur* בעלי אספות, *hoc est, illi qui congregant gregem in ovile, si modo ipsum ovile non ita vocetur. Atque ego verba Paraphrasticè sic redderem:* Verba sapientum sunt sicut stimuli, & clavi fixi à congregantibus gregem: *stimuli ut arceant fures & feras noxias, clavi ut sartum tectum conservent ovile; qui stimuli & clavi dantur à pastore primo gregis domino in hunc ipsum finem.*

12. *His amplius*, &c. Q. d. Ceterùm quæ hactenùs

nùs dicta ſunt, tibi, fili mi, ad inſtitutionem ſufficiant; nam libros faciendi nullus eſt finis, & multiplex lectio animum & corpus defatigat. Roboam videtur hîc alloqui Salomon.

*Frequénſque meditatio.* Heb. ולעג הרבה, *& multiplex lectio.* Aben-Ezra nos monet לעג in lingua Iſmaëlitarum, id eſt, Arabicè, ſignificare קריאה lectionem.

*Carnis afflictio.* Synecdoche, q. d. Maury interprete,

*Corporis eſt, animique labor meditatio jugis,*
*Lectioque; & paucis verumque bonumque docentur.*

13: *Finem loquendi omnes pariter audiamus.* Heb. סוף דבר הכל נשמע, *finis verbi omnis auditi.* Q. d. Finis omnium, quæ hactenùs à me audiſti, & quò tendit omnis doctrina ſapientum, eſt.

*Deum time.* Id eſt, Cole ac reverere.

*Et mandatum ejus obſerva.* Id eſt, Ipſiúſque juſſis ſincere obtempera.

*Hoc eſt enim omnis homo.* Id eſt, In hoc conſiſtit perfectio hominis; ad hoc enim conditus eſt omnis homo, hoc ejus munus eſt, &, ut ait S. Hieronymus, vel Paulinus ad Celantiam, *æquo jure mandatur omnibus, nullus ab hoc imperio liber eſt.*

*Huc eſt natus homo, fictus, factuſque; nec ulla*
*Hinc ſe conditio, ſexuſve, aut excipit ætas.*

14. *Et cuncta quæ fiunt.* Heb. כי את כל מעשה, *nam omne opus.*

*Adducet Deus in judicium.* Id eſt, Tandem aliquando à Deo juſto judice diſcuſſum rependetur.

*Pro omni errato.* Heb. על כל נעלם, *ſuper omni occulto.* Id eſt, Quantumvis occultum fuerit illud opus. *Pro eo,* inquit Hieronymus, *quod nos poſuimus,*

De

De omni abſcondito, ſive bonum, ſive malum ſit, *Symmachus & Septuaginta interpretati ſunt, De omni contemtu.* Auguſtinus legit, *In omni deſpecto.* Audiamus ipſum de hac concluſione libri Eccleſiaſtæ agentem lib. 20. Civ. Dei cap. 3. *Quid*, ait, *brevius, verius, ſalubrius dici potuit?* Deum, *inquit*, time, & mandata ejus cuſtodi: quia hoc eſt omnis homo. *Quicunque enim eſt hoc, eſt cuſtos utique mandatorum Dei: quoniam qui hoc non eſt, nihil eſt. Non enim ad veritatis imaginem reformatur, remanens in ſimilitudine vanitatis.* Quia omne opus, *id eſt, quod ab homine fit in hac vita*, ſive bonum, ſive malum, Deus adducet in judicium, in omni deſpecto, *id eſt, in omni etiam, qui contemtibilis hic videtur, & ideo nec videtur: quoniam Deus & ipſum videt, nec eum deſpicit, nec cum judicat, præterit.*

---

FINIS.

---

*CHRISTO JESU*
*AUTORI, ET CONSUMMATORI FIDEI*
*SACRUM,*
*ECCLESIÆ ANGLICANÆ,*
*ET*
*CUJUSVIS ORTHODOXÆ*
*JUDICIO*
*HOC QUICQUID EST OPERIS*
*AUTOR*
*EX ANIMO SUBJICIT.*

*Semper agam grates Chriſto, dabo ſemper honores*
*Laus Domini ſemper vivet in ore meo.*